Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Konrad Samuel Schurzfleisch Gottfried Wagener

Conradi Samvelis Schvrzfleischii Introdvctio Brevis In Historiam Ecclesiasticam ...

Secvli II III Et IIII

Vittembergae: Ex Officina Ioann. Frider. Schlomachi[i], 1741

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1662785739

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

8.2

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1662785739/phys_0001
DFG

Pr. 160 p
35 p
26 p

56. 4.

~~550~~

F.f — 1038 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1662785739/phys_0002
DFG

CONRADI SAMVELIS
SCHVRZFLEISCHII

INTRODVCTIO BREVIS

IN

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

SECVLI II III ET IIII

QVAM

EX MS. EDIDIT

GODOFREDVS VVAGENERVS

VITTEMBERGAE

EX OFFICINA IOANN. FRIDER. SCHLOMACHI

A. CIↃ IↃ CCXLI

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1662785739/phys_0005
DFG

VIRIS
MAXIME REVERENDIS ATQVE AMPLISSIMIS
DOMINO
D. IOANNI SAMVELI
LVPPIO
PRAESVLI APVD IESSENENSES TRACTVS ITEM FINITIMI
ANTISTITI MERITORVM AMPLITVDINE INSIGNI
DOMINO
D. IOANNI ZACHARIAE
HILLIGERO
PASTORI SEYDAE PRIMARIO ET SACRORVM IBIDEM
ANTISTITI MERITIS CVMVLATISSIMO
ATQVE ITEM
DOMINO
ERDMANNO GODOFREDO
CAMENZIO
COETVS DEI APVD SCHLIBENENSES PRAEPOSITO
VICINARVMQVE ECCLES. ANTISTITI LONGE
MERITISSIMO
DOMINIS AC FAVTORIBVS SVIS
SVMMOPERE COLENDIS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1662785739/phys_0007
DFG

SCHVRZFLEISCHIANA HAEC POSTHVMA

EX

HISTORIA ECCLESIASTICA

DEPROMPTA

MORE MODOQVE VETERI

L. M. Q.

DICAT ET CONSECRAT

PROQVE

SINGVLORVM

VITA INCOLVMITATE FELICITATE

ARDENTISSIMA VOTA NVNCVPAT

EDITOR

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1662785739/phys_0008
DFG

SECVLVM II

CAPVT I

CONTINENS RERVM SECTIONEM

Postquam scriptis, diuino afflatu traditis, finis impositus est, simul quoque Apostolicum seculum desiit, nec tamen dona et uirtutes plane defierunt, Apostolorumque discipuli initium huius seculi illustrarunt, atque ea de causa uiri Apostolici appellati fuerunt, qui cum religione, tum caritatis consensu, et iniuriarum patientia, martyrumque constantia, ueritatem diuinam, quam amplexi erant, confirmarunt. Equidem sanctimonia piorum tanta fuit, ut aegre facientes, atque iniuriam inferentes non modo tolerarent, sed etiam amarent, et conuitia dicentes, non uicissim conuitiis insectarentur, multo minus contumeliam reiicerent in autores, sed placide acquiescerent, et omnia haec moderate patienterque ferrent, id quod etiam iuri diuino et praxi Apostolicae exacte congruebat. Quorsum spectat IGNATIVS in Epist. ad Ephes., dicens, Maledicta non meledictis, sed precationibus, esse compensanda, sed uel hoc ipsum euidente CHRISTI exemplo ostenditur, qui conuitiantibus non regessit conuitia, atque hoc argumento citationes ad tribunal CHRISTI, item retorsiones, et, ut uolunt, recriminationes, non sunt fructus uerae et Christianae religionis, ac regulae iuris diuini, exemplo CHRISTI repugnant, et primitiuae ecclesiae prorsus aduersantur, ne permissione fori externi ita excusentur, ut conscientiae iterum tranquillandae sufficere possint.

II Tum uero miracula hoc seculo plurimum poterant ad Christianos confirmandos, et paganos ad Christiana sacra adducendos, sic tamen, ut uis effectrix diuinior soli Deo eiusque uerbo annuntiato relinqueretur. Neque enim gentiles prius in communionem Christianorum recepti sunt, quam superstitionem cultumque idolorum solenniter eiurarent, et linguam, mentem atque animum CHRISTO dicarent. E diuerso Christiani ad communionem cum gentibus ineundam nullis cruciatibus, nullisque suppliciis, nec metu, nec minis, adduci se patie-

bantur, quod, praeter CHRISTI apostolorumque interdictum, exempla martyrum, et CONSTANTINI, aliorumque Imperatorum, Christiana religione imbutorum, rescripta testantur. Vid. IACOBVS GODOFREDVS de interdicta Christianorum cum gentibus communione.

III Omnino igitur ad religionem, sine fuco testandam, requiritur zelus, quippe qui religionis propagandae et retinendae honestum piumque incitamentum est, et animos Christianorum confirmat, ut in diuinae ueritatis confessione perseuerent, ac ne unum quidem dogmatis apicem amittant, ut BASILII sententia extat apud THEODORETVM IV, 17. Debet zelus esse uerus, et cum uera Dei cognitione, ac non simulata sanctitate, coniunctus, quem prudentia ecclesiastica cum recta ratione moderatur, ut periculum non expetamus, sed expectemus, nixique Dei praesidio, si uocatio nostra sic exigat, fortiter constanterque feramus. Vid. VEDELIVS de Prudentia ecclesiastica, 1, 5.

IIII Ceterum ob calumnias hominum non Christianorum plerique censebant, Christiana sacra esse occultanda. Etsi enim ueritas lucem non refugit, et mysteria Christianorum non latebras quaerunt, sed impune produntur, exemplo Apostoli, qui affirmabat, se non pudere Euangelii, quod palam et in urbe principe annuntiabat, factum nihilo minus est ex prudentiae Christianae capite, ut mysteria absconderentur, non, ut Christianis mysteriorum cognitio et usus interdiceretur, sed, nec Christianis esset cum gentilibus communio, quam ueteres Christiani ualde auersabantur. De hoc more uid. TERTVLLIANVS Apolog. c. 7, et ad Nationes 1, 7, et de Praescriptionibus aduersus haereticos, c. 41. Conf. ORIGENES in Libro Φιλοσοφουμένων. Quod tamen non eo spectabat, ut traditiones ab Apostolis transmissae, et Scripturae diuiniori ignotae atque contrariae approbarentur. Quoniam enim tunc erat pressa ecclesia, multumque afflicta, in secessu et occulte sacra haberi, uisum est. Cuius tamen moris ante TERTVLLIANVM nullum uel in Graeco, uel in Latino, monumento uestigium reperimus, quod nemo ante TERTVLLIANVM de hac arcani disciplina quicquid tradidit, seculis autem sequioribus, maxime quarto et quinto, inualuit, sexto autem cessauit paullatim, et septimo denique prorsus intermissa est, sed

in

in Graecorum ecclesia diutius permansit, quippe quae eius simile aliquid etiamnum seruat.

V Quo in negotio ueterum Christianorum prudentia cernebatur, cum consilia sua eo dirigerent, ut commodis ecclesiae et dignitati sacrorum, et simplicitati Catechumenorum, sapienter consulerent, quippe quos pompa atque ostentatio gentilium apparatusque externus offendere, et a diuina religione suscipienda auocare, potuisset, nisi mysteria studio occultassent, atque adeo apud gentiles de baptismo in primis et sacra Caena reuerenter et magnifice locuti fuissent. Vid. TERTVLLIANVS de Baptismo c. 3. Neque modo gentiles, sed etiam Iudaeos, afficiebat Christianorum rituum simplicitas, atque adeo silentii et arcani disciplina tunc recepta est, ianuisque clausis, mysteria peracta et magnis elogiis celebrata sunt, ut ex Constitutionibus CLEMENTIS et Patribus Graecis Latinisque intelligitur. Vnde VALENTINIANVS, ac postea Ascetae, occasionem erroris arripuerunt. Vid. ATHANASIVS, BASILIVS, NAZIANZENVS, CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, THEODORETVS, ac denique PSEVDO-AREOPAGITA.

VI Posteaquam uero ordinata sacrorum πολιτεία, et Catechumeni tam frequenti numero esse desierunt, non fuit necessaria amplius haec arcani disciplina, et prorsus abrogata est, propterea, quod, cum eius causa iam sublata esset, effectum quoque et uetus illud institutum tolli oporteret. Nam occasiones et causae externae in origine rituum cumprimis ponderandae sunt, quas hic apertissime licet obseruare. Vid. dicti Patres, et Disputatio de Arcani disciplina a MAYERO habita.

VII Traditiones ceteroquin non scriptae Patribus non probantur, sed adiaphora ceremoniarum et rituum admittuntur et tolerantur, quae ad substantiam Scripturae diuinioris non spectant. Aliquando etiam laxe traditiones nominantur res in sacris literis reuelatae ac dogmata religionis ibidem comprehensa, quae sane directo traditionibus non scriptis opponuntur. Vid. IGNATIVS in Ep. ad Ephesios, et EVSEBIVS, III, 32. Eundem loquendi modum sequuntur latini Patres ac dextre sunt intelligendi.

VIII Traditiones igitur ueterum doctorum de usu erant dogmata a CHRISTO tradita, et uiua uoce promulgata, atque ab Apostolis consignata. Dogmata ceteroquin BASILIVS appellat ritus, atque ab his distinguit

κηρύγ-

κηρύγματα, et his denotat capita creditu neceſſaria, in libro de Spiritu S. cap. 27. Nunc autem accurate dogmata uocantur, ac ſine omni ambiguitate pro capitibus credendis ſumuntur, atque dogmatibus non ſcriptis opponuntur, cum quibus traditiones non ſcriptae, quatenus dogmata fidem moreſque complectuntur, pari reuerentia et pietate cum dogmatibus ſcriptis, diuinoque Codici inſertis accipi nec poſſunt, nec debent, quod tamen Latini doctores cupiunt, ac uehementer urgent. Certe autem recte diligenterque formandus huius quaeſtionis ſtatus eſt, et genera traditionum apte ſemper diſtinguenda, ut recte diſtinxit MARTINVS CHEMNITIVS in Examine Conc. Trid. P. I, ab ipſo etiam CLAVDIO ESPENCAEO laudatus.

IX Quare horum et proximorum temporum Patres atque Epiſcopi, ſigillatim Romani Antiſtites, Euangelium in ſummo pretio et uenerationе ſemper habuerunt, religionemque ſine traditionibus non ſcriptis aſſeruerunt, et doctrinae uitaeque innocentia in primis floruerunt, Papaeque nomen ſibi proprium et peculiaris praerogatiuae indicium nondum habuerunt, neque controuerſias ex quodam ſedis Romanae priuilegio deciderunt, neque tunc prouocationes in definitionibus controuerſiarum Romam fieri conſueuerunt, neque reuelationes et uiſiones admiſſae ſunt, neque ullae tandem traditiones, qualeſcunque demum eſſent, contra ſcripturae regulam receptae ſunt ac ualuerunt. Quorſum ſpectat controuerſia de Paſchate celebrando, in qua VICTORI, Romae Epiſcopo, publice contradictum eſt, apud EVSEBIVM V, 24. Indulget ſibi BARONIVS, dum ait, Martionem ſtupri reum locoque ſuo extruſum prouocaſſe ad Romam, cum tamen Romana ſedes eum nollet in communionem recipere, nec poſſet per leges diſciplinae eccleſiaſticae, ut conſtat ex EPIPHANIO Haereſ. 42. Eodem ſpectant ATHANASII ad ſedem Romanam perſcriptae Epiſtolae, quae non appellationem, ſed conſenſum teſtimoniumque ueritatis, contra Arianos requirebant. Ex quibus intelligitur, tunc nondum eam ſedem ſibi arrogaſſe munus ſuperioris iudicis, ex manifeſta ratione aequalis eccleſiae poteſtatis, quam cum aliis habebat. Proinde hodierna eccleſia Gallicana eandem aequalitatem agnoſcit, et Pontificis oecumenicum et infallibile imperium in ſacris non admittit, quod ſcripta Sorbonica perſpicue teſtantur.

X Per

X Per ea tempora admodum seuera ecclesiae disciplina extitit, adeo, ut patres ipsi non parcerent filiis, atque exemplum statuerent, in quosuis, non habita ratione dignitatis. Documento fuit Marcion, quem pater, etsi supplicem ac deprecantem, non statim recepit, sed testatus est, publica delicta, praesertim ecclesiasticorum hominum, publice etiam, exempli causa, esse punienda. Neque tamen Christiani poterant effugere reprehensionem, sed uariis grauibusque calumniis petebantur, ac impietatis incestusque et crudelitatis nomine passim traducebantur, contra quos IVSTINVS MARTYR, ATHENAGORAS et TERTVLLIANVS, multum diligenterque scripserunt, causamque Christianorum pro uirili defenderunt. Occasionem nihilo minus dabant haeretici, Gnostici, aliique, sed crimen Christianis imputabant gentiles.

XI Fuit etiam disciplina, quae ad Clericos pertinebat, uel rigida, uel mansuetudine quadam moderata, quarum ista Clerici dignitatem prorsus, haec gradum eius duntaxat, adimebat Clericis lapsis. Vel enim retinebant communionem cum Clerico, uel ad laicam communionem demittebantur, uel demum laica communione excludebantur, et uniuersa fidelium communione priuabantur. Ac illud quidem honori ordinis sacri datum est, hi tamen, ut poenitentiae et humilitatis signa ederent, etiam priusquam laica communione fruebantur. Hodie, cum imperium seculique iudicium Christiani magistratus subeant, Clerici lapsi, in casibus atrocium delictorum amittunt ius et dignitatem Clerici, et traduntur iudiciis, poenaque afficiuntur. Vid. Canones Apostolici Can. XXV, Synodus Agathensis Can. XXXII, Nicaena Can. IIX, CYPRIANVS et BASILIVS ad Amphilochium.

XII Hinc distinguendae sunt poenae pro qualitate criminum, erantque uel suspensionis, uel depositionis, uel exauctorationis, et, ut loquebantur, deuestiturae ac degradationis, quarum ultima Clericum reddebat secularem, poenaeque mortis subiiciebat, eam tamen ob crimen haereseos non posse infligi, asseruimus, et tuemur contra ecclesiam Romanam, speciatim contra ANDR. VALENSEM, Iuris Can. v, 39.

XIII Ex quo perspicitur, omnes Clericos, et ipsos quoque Diaconos, magna dignitate semper in ecclesia fuisse. Neque ipsos Dia-

conos ab ordine hierarchico excluſos, in eiuſdem ordinis partem ueniſſe, atque cum reliquis ſacerdotibus, etſi ordine et dignitate poſteriores, intra ſanctuarium ſtetiſſe, atque myſteria conſecrata ſumpſiſſe, lapſos autem clericos extra ſanctuarium conſtitiſſe, ſi ad communionem laicam dimittebantur, ſi uero et hac arcebantur, neque ad coetus, neque ad myſteriorum, communionem, admiſſos fuiſſe. Quorſum ſpectat canon IX Synodi Laodicenae.

XIV Aliter etiam cum lapſis atque cum catechumenis in ueteri eccleſia actum eſt, quorum illi comiter inuitati et accepti ſunt, et fere quinquennium impleuerunt, ueluti ad diſciplinae Pythagoricae legem. Hi autem ſeuerius duriuſque tractati et habiti ſunt, ut rigore diſciplinae admonerentur, quantum intereſſet inter eos, qui ius fidelium culpa ſua amiſiſſent, et inter eos, qui nondum acquiſiuiſſent plene. Qua in re quidem inſignis ueterum prudentia cernebatur erga Catechumenos, quos, uelut ex paganiſmo progreſſos, minus leniter accipiebant, lapſos autem lenius tractabant, propterea, quod auſteritas nimia uidebatur alienior a Chriſtianorum moribus, ideo maxime, ut Nouatianiſmo feneſtra ne patefieret, quod eccleſia Romana prudenti conſilio fecit, rigoremque eccleſiae Africanae de induſtria temperauit, ut plane obſtrueret infringeretque conatus Nouatiani dogmatis, quod ſec. III maximas turbas dedit.

XV Vigebant his temporibus miracula et chariſmata fidelium, maximuſque erat zelus non tam erga lapſos, ſed etiam erga heterodoxos, quos rebus afflictis, et in ipſo etiam perſecutionis aeſtu in communionem non recipiebant, quod fragmentum docet ab EVSEBIO nobis conſeruatum, H. E. V, 15. Et miracula quidem multos ad capeſſenda CHRISTI ſacra inducebant, neque gentiles prius in communionem Chriſtiani nominis admittebantur, quam ſuperſtitionem ſuam ſolenniter eiurarent, et linguam animumque CHRISTO dicarent. E diuerſo Chriſtiani ad communionem cum gentilibus ineundam nullis cruciatibus ſuppliciiſque adduci ſe patiebantur, quod praeter CHRISTI Apoſtolorumque interdictum cum exempla martyrum, tum reſcripta Caeſarum, euincunt. Sed et hic diſtinguenda ſunt tempora ueteris et ſequioris eccleſiae, praeſertim, ſi de communione foederum ciuilium,

quae

quae religioni et sacris fraudi non sunt, quaeritur, et suis quaeque finibus sine admixtione falsitatis continentur. Interim uid. BEMBVS, et IACOBVS GODOFREDVS de Interdicta Christianorum cum gentibus communione, cum quo conf. FRANCISCVS BALDVINVS de Veterum Imperatorum rescriptis.

XVI Id uero Dei singulare erat beneficium, quod, praeter ceteros homines doctos et legum diuinarum humanarumque peritos, delegit homines uiles et abiectos, et gentibus etiam nascendi conditione inuisos, miraculisque et charismatis exornauit, ut elegantius pariter, et efficacius, docerent, uerbaque facerent, quam ii, qui sectis philosophorum, etiam praestantissimorum, operam dedissent. Vid. ORIGENES contra CELSVM passim, CHRYSOSTOMVS T. IX, IRENAEVS aduersus Haereses II, EVSEBIVS H. E. V, 7.

XVII Nomina fidelium huius et sequentium seculorum ex Diptychis recitabantur, et mortuorum quoque honori rependebatur officium, ut collata eorum in ecclesiam beneficia sermone celebrarentur, aliique ad moris et exempli huius imitationem accenderentur. Quorsum uid. DIONYSIVS Hierarchiae eccles. III. Idem innuit indicatque CYPRIANVS Epist. X. Haereticorum uero nomina eradebantur, eaque ex causa saepe dissidia et funestae lites oriebantur, quod confirmant Epistola CHRYSOSTOMI, et MACARII, atque orientalium et occidentalium ecclesiarum acta.

XVIII Ceterum in ecclesia ueteri omnia rite et ordine tractabantur, nec modo sacra pie ac reuerenter, sed etiam ritus, ad sacra pertinentes, decentibus compositisque animis peragebantur. Ritus quidem per se reprehensione carent, et uenerationem quoque excitant, sed modum quoque habere debent, in quo mirari subit huius seculi faciem, quando a simplicitate et paucitate rituum primi seculi paullatim est recessum, non sine indicio superstitionis, aliquanto post una glisscentis, et per externa haec in animos sese insinuantis.

XIX Neque uero Christiani ueteres die dominico ieiunarunt, nisi singularis ratio ieiunandi tunc esset, prout id de Apostolis tradit HIERONYMVS, atque ex Actibus Apostol. intelligitur. Sed eo die ordinario non ieiunasse ueteres Christianos, autor est TERTVLLIANVS, et

ostenditur ex eius libro de Corona militis, atque ex Apologetico. Christiani enim hunc diem laetitiae, et gaudio recreationique liberiori consecratum uolebant, quod scirent, aliquid esse curis molestiisque uitae interponendum, quod cum prudentiae, tum ordinis, causa recte fiebat.

XX Ritus poenitentiae erat publicus et solennis. Poenitentia autem uel erat Catechumenorum, uel Christianorum iam baptizatorum, uel lapsorum. Prior quidem illa pertinebat ad eos, qui a non-Christianis et paganis transibant ad coetum fidelium, et ante baptismum poenitentiam agebant, et ieiunabant, nudique ueniebant, et iuxta cum Energumenis in porticu ecclesiae stabant, ut ex TERTVLLIANO, NAZIANZENO et AVGVSTINO, intelligere licet. Quorsum conf. IOSEPHVS, uice-Comes, de Ritibus baptismi, CASALIVS, ALBASPINAEVS et G. I. VOSSIVS de ritu eodem. Posterior autem hic praecipue in controuersiam uenit, quam non concedebat MONTANVS, et idololatras moechosque excludebat ab ea, ueniamque dandam illis negabat. Eum secutus est TERTVLLIANVS, rigidi et seueri uir animi, et grauiora peccata non posse remitti ab ecclesia, contendebat, atque adeo distinguebat delicta quotidianae incursionis a grauioribus et exitiosis, quorum illis ueniam dari, his denegari, affirmabat. Vid. liber eius de Pudicitia, quem scripsit, postquam in Montanismum lapsus est. Ab eo tempore Romanae, siue Latinae, ecclesiae insultabat, eamque acerbe perstringebat, spem ceteroquin ueniae ordinarie dandae praecidebat, apud Deum tamen non praeclusam esse, docebant, cuius sententiam postea NOVATIANVS, ecclesiae Rom. Presbyter, est amplexus.

XXI Lapsi, priusquam admittebantur, a Catechumenis et fidelibus seorsim stabant, et in primo templi aditu, qui πρόναον dicebatur, flebant. Hinc ad audiendum Dei uerbum, quod in ecclesia lectum praedicatumque est, admittebantur, inde precum ecclesiae participes fiebant, et iuxta cum Catechumenis stabant et exibant, postea inter fideles consistebant, et demum ad percipienda mysteria adducebantur. Erant igitur proprie et accurate loquendo quinque eorum stationes, quas ex Patribus et monumentis rituum ecclesiae colligimus, ut πρόσκλαυσις,

κλαυτις, flentium ſtatio, ἀκρόασις, audientium, ὑπόπτωσις, iacentium, ſeu proſtratorum, σύστασις, conſiſtentium, μέθεξις, fruentium.

XXII Ceterum eccleſia Africana cumprimis erat ſeuera ac rigida, cenſuramque eccleſiaſticam minori temperamento exercebat, contra eccleſia Romana erat lenior, quod indigne ferebat TERTVLLIANVS, atque hac ſeueritate occaſionem Nouatianiſmo dabat, quippe qui reuera ex Montaniſmo eſt prognatus. Solebant autem ueteres Chriſtiani interdum diſpenſare, et a rigore temporis (triennii nempe) claſſeſque obſeruandi relaxare, idque partim ob perſecutiones, partim ob interceſſiones martyrum, partim ob uitandam deſperationem, partim ob alias grauiores cauſas, quibus ad ueniam citius dandam mouebantur.

XXIII Ex his facile intelligitur, diſciplinam ueteris eccleſiae prudentia fuiſſe temperatam, ut, pro ratione emergentium circumſtantiarum, nunc longius, nunc breuius, tempus poenitentibus ſtatueret. Quod aequitatis et prudentiae erat, etſi interdum ab hoc more regulaque recedebant, et circumſpecte moderabantur.

XXIV Sed quoque uetus eccleſia magnam ieiunii rationem habuit, quod neque ab Apoſtolis praeceptum eſt, neque in proximis Apoſtolorum doctoribus et ſucceſſoribus reperitur, ſed longe poſt IGNATIVM, IRENAEVS et TERTVLLIANVS, ieiunii mentionem fecerunt. Non tamen ieiunium id fuit quadrageſimale, ut ipſe fatetur RIGALTIVS in TERTVLLIANVM. Omnino autem IRENAEVS commemorat ieiunium quadraginta horarum, quod docere poteſt fragmentum, ab EVSEBIO ſeruatum, H. E. v, 24. Antiquiſſimum ergo fuiſſe ieiunium, largimur, et inde ab Apoſtolorum temporibus in eccleſia receptum atque uſitatum, ſed id non fuit ieiunium quadrageſimale, multo minus praeceptum, diuinituſque mandatum. Nam ueteris eccleſiae ieiunium erat pietatis, non ſuperſtitionis, et in magna duntaxat hebdomade ad recolendam paſſionis CHRISTI memoriam, ad digne adeo praeparandos animos receptum. Quod ieiunium dicebatur Paſchale, quando Paſcha praecedebat, et nunc uno, nunc aliquot diebus, nunc tota hebdomade ante-Paſchali, comprehendebatur, ſed illud non erat pars quadrageſimae. Quorſum uid. H. VALESIVS in EVSEBII H. E. v, 24. Ex quibus euincitur ieiunium magnae

gnae hebdomadis magna animorum religione fuisse peractum, sed quod a ieiunio quadragesimali, seu quadraginta dierum, antiquissimi secundi tertiique seculi Patres, et Graeci quoque, seiunxerunt, atque adeo constanter ieiunium ante-Paschale et quadragesimale distinxerunt, cum posterius illud uetus ecclesia ignoraret, nec quadringenta diebus definiret. Homiliae ORIGENIS, quae adducuntur, non sunt magnae autoritatis, nec uere meritoque ipsi tribuuntur, et duntaxat in uersione dubia leguntur, nec determinant ieiunium quadragesimale, ut hodie apud Pontificios celebratur, perinde, ut sermo CYPRIANI de ieiunio post CYPRIANVM habitus concinnatusque est, uel ipsomet confitente BELLARMINO. Neque hic standum est testimoniis TERTVLLIANI, quippe in Montanismum delapsi.

XXV Quare ieiunium superpositionis, seu, ut Graecis uerbis exprimitur, νηστεία τῆς ὑπερθήσεως, non eo spectat, ut Romanae ecclesiae ritum sub necessitate praecepti, multo minus sub opinione meriti, fulciat ac fundet, neque id euincere possunt Latini doctores, ut ieiunio quadragesimale comprehensum fuisse, confirmare possunt. Vid. IO. DALLAEVS, qui erudite ac diligenter hoc argumentum pertractauit, quem argute, non tamen uere, oppugnare coepit NATALIS ALEXANDER, quo eruditior fuit IOANNES MORINVS, cuius conf. liber de Mysterio ueritatis.

XXVI Cura poenitentium ab Episcopo suscepta est, qui tempus poenitendi pro ratione delictorum statuebat. Absolutionis genus erat duplex, maius solenniusque sub finem quarti poenitentium gradus erat, ut ex Canonibus Synodicis et usu ueteris ecclesiae constat. Presbyteri quoque in casu absentiae et praesentissimo mortis periculo quoslibet poenitentes absoluere poterant. Manus impositio aliquoties facta est, qua peracta, poenitentes cum Catechumenis dimittebantur, donec fieret ultima solemnisque absolutio, postquam ad sacram coenam admissi sunt, pleneque restituti, et ecclesiae reconciliati. Hinc absolutio inter Missarum solennia fieri consueuit, id est, inter communionem Eucharistiae. Quo uid. OPTATVS MILEVITANVS II, et ecclesiae Africanae Canones, qui id passim declarant.

XXVII

XXVII Quod reliquum est, Clerici his temporibus uitam sanctam, et cum rectis exemplis coniunctam, agebant et profitebantur, nec minus uestitu decenti utebantur, in primis autem induebant tunicas albas, easque linteas, non sericas et ad ostentationem comparatas. Episcopi quoque superhumeralibus et pyrrhis se ornabant, ac de illis quidem ex CYPRIANI Martyrio et AVGVSTINO liquet, de istis uid. SIMON THESSALONICENSIS, qui diligens talium rituum compilator fuit. Sed de hac re ac genere uestium nihil in scriptura sacra definitum, aut constitutione quadam uniuerse obligante determinatum, est, sed id cuiuis loci consuetudini et ecclesiae libertati relinquitur, dummodo morale maneat, et Clerici non ad ostentationem et luxum uestiantur, quod passim Concilia et Synodi graui ex causa prohibuerunt.

CAPVT II
DE
PERSONIS PARTIM IMPERANTIBVS PARTIM SACRIS

Nouum hoc seculo Christianis odium conflatum est, imperante Traiano, ceteroquin probo et iusto, quem Optimi, titulo Romanus Senatus decorauit, persuasionibus tamen et consiliis malorum hominum acerbius in Christianos consuluit, eorumque sanguinem profudit, ut testantur EVSEBIVS III, 33, OROSIVS VII, SVLP. SEVERVS II, ante hos TERTVLLIANVS, et inter profanos PLINIVS IVNIOR in Epistola ad Traianum, et Traiani responsio ad PLINIVM IX, Epist. XCVII, sq., quas uiri eruditi, BALDVINVS, BOSIVS, et alii, docto commentario illustrarunt. Fuit tamen haec persecutio lenior et infra persecutionem Neronis.

II Quo tempore CLEMENS ROMANVS et IGNATIVS, illustres Episcopi, alter Romanus, alter Antiochenus, martyres effecti et morte mulctati sunt. Maxime autem Christiani in castris, qui sacra diis facere recusabant a ceteris separati, atque in Armeniam relegati, cum firmi constantesque manerent, neque promissis, nec metu, ad religionem abnegandam adigi possent, omnes ad poenam abstracti perierunt.

Marty-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1662785739/phys_0019
DFG

Martyrologia ferunt, undecim millia horum extitisse, qui in religionis confessione perseuerarunt. Vid. Martyrologium Romanum et ADO VIENNENSIS, GREGORIVS TVRONENSIS de Gloria martyrum, aliique scriptores.

III TRAIANVM secutus est ADRIANVS, qui pariter ecclesiae bellum mouit, et aduersus Christianos odio atque iniuria grassatus est, atque multos innocentes et innoxios afflixit maleque mulctauit. Proinde QVADRATVS et ARISTIDES Apologias pro Christianis scripserunt, de quibus uid. EVSEBIVS H. E. IV, 3, HIERONYMVS de Script. eccles. c. XIX, et Epist. LXXXIV. Quo extincto, ANTONIVS pacem ecclesiae reddidit, ut testatur s. SEVERVS II. Memorabile est, quod de eo, cum Asiae Proconsul esset, traditur. Nam rerum summam tenente ADRIANO, quaestiones de Christianis habitae sunt, illi, publico edicto citati, pro tribunali comparuerunt, et palam se Christianos professi sunt, paratosque ad mortem, si religionis causa ageretur. ANTONIVS multitudine illorum perterritus, plerosque exilio damnauit, reliquis autem dixit, O miseri, uultis mori, annon praecipitia et restes habetis.

IV Regnante postea ANTONINO, Christiani melius sunt habiti Neque enim hic Imperator persecutus est Christianos, neque edictum promulgauit, quod Christianis fraudi esset, tamen Praesides et Praefecti Christianos afflixerunt, adeo, ut edicto prohiberet Imperator iniurias, et a Christianorum sanguine omnino temperaret, maxime, postquam IVSTINI Apologiam legit pro Christianorum innocentia sibi oblatam. Vid. EVSEBIVS H. E. IV, 13, et conf. IVSTINI MARTYRIS Apologiae, quae etiam nunc extant. Sed MARCVS ANTONINVS, philosophus, Christianum nomen uexauit, ac denuo persecutionem mouit, quae multos atque egregios uiros consumpsit, nominatim POLYCARPVM, PTOLEMAEVM et LVCIVM, de quibus EVSEBIVS et IVSTINVS MARTYR uideantur. Eodem tempore IVSTINVS, Christiana religione imbutus, martyrium subiit, cuius calamitatis suppliciique autor fuit Crescens, homo ex Cynicorum secta pessimus, quam fortunam ipse sibi praedixit, ut Apologia eius fidem facit.

V Me-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1662785739/phys_0020
DFG

V Memorabile his temporibus accidit Christianis beneficium, quando Romanus exercitus, contra Quados et Marcomannos in aciem eductus, aquarum inopia laborauit, ac sitis taedio prope defecit. Iam de Romanis actum erat, cum barbari callidi differrent praelium, et sperarent, fore, ut Christiani et Romani milites aestu confecti perirent. Igitur Christiani milites, qui sub ANTONINO meruerunt, flexis genibus Dei immortalis opem inuocarunt, pluuiamque impetrarunt, qua refectus est exercitus, et simul ignis et fulmina in Quados emissa, hostes, eorumque socios, perterruerunt. Hinc Christianorum legio κεραυνοβόλος, fulminea, seu fulminatrix, appellata fuit. Vid. DIO CASSIVS in Excerptis apud XIPHILINVM. Gemina leguntur apud alios scriptores tam ecclesiasticos, quam profanos. Etsi reuera DIO hoc miraculum mago cuidam imputat, ac IVLIVS quoque CAPITOLINVS, qui uitam MARCI scripsit, et CLAVDIANVS, poeta, id MARCI, Imperatoris, precibus ascribunt, sed reuera Christiani milites, qui sub MARCO militabant, uotis precibusque suis pluuiam a Deo petierunt atque impetrarunt.

VI SEPTIMIVS SEVERVS primo quidem a Christianis non fuit alienior, sed postea edictum contra eos promulgauit. TERTVLLIANVS hunc SEVERVM in Apologetico, et libro ad SCAPVLAM, laudat, et constantissimum Principem appellat, sed posthaec deflexit, et in crudelitatem mutatus est, ut historiae et horum acta temporum testantur. Ex quibus summatim nos elicimus, Christianos et militasse, et ius militandi habuisse, sub Imperatoribus, a religione Christiana alienis. Quanquam TERTVLLIANVS et ORIGENES dissentiunt, et interdum hic sibi non constant. CYPRIANVS tamen grauiter affirmat, in castris militantes etiam Deo seruire et militare, et palmas Domini mereri, posse. Hinc milites ab ecclesiae aditu minime arcebantur, et pagani etiam initiari cupientes admittebantur, modo fidem darent, stipendio contentos fore, et ab iniuriis uexationibusque abstinere uelle. Huc uid. Constitutiones Apostolicae VIII, 32.

VII Inter Patres et ecclesiae doctores praeter ceteros eluxit IGNATIVS, Episcopus Antiochenus, et Apostolorum discipulus, et, ut tradit antiquitas, a PAVLO ordinatus et inauguratus, cum simplici-

tate doctrinae, tum sanctitate uitae, insignis et martyr, cuius Epistolas perperam interpretantur BELLARMINVS, BARONIVS, et alii, maxime in capite de Traditionibus, de Episcopis, quibus primatum iurisdictionis nunquam tribuit, item de Cruce, quam pro Christi passione accipit, ac de Transsubstantiatione, quam nusquam tradit, sed ueram arctissimamque communionem, eamque mysticam, designat. Huc uid. CHEMNITIVS, VEDELIVS, BEBELIVS, aliique scriptores cum nostri, tum Reformati. Patriam eius definit ABVLPHARAIVS, et Nuranienſem nominat, intelligens Nuram Sardiniae, cuius meminerunt Geographi ueteres. Conf. de eo HALLOIX, PEARSONIVS in Vindiciis. ISAACVS VOSSIVS interdum Egnatium appellat, quanquam in antiquissimis EVSEBII et EVAGRII exemplaribus, et Codice Medicaeo constanter IGNATIVS scribitur. Liber de Traditionibus non extat, ut recte affirmat COCVS. Martyr factus est A. CVII, in quo cum VSSERIO conuenit eruditis, nec tamen omnes ita sentiunt. VOSSIVS enim reiecit martyrium IGNATII in A. CXXI. Ratio temporum non fert, ut dicamus, eum in carne uidisse CHRISTVM.

VIII POLYCARPVS, Episcopus Smyrnensis et martyr, pariterque Apostolorum discipulus, et eorum, qui CHRISTVM uiderunt, familiaris. Religionis ardore et zelo confirmatus, donorumque et charismatum extraordinariorum particeps, atque adeo de ultimo ignis supplicio per diuinum aliquod signum, commonitus fuit, ut EVSEBIVS testatur, H. E. IV, 15. Huius extat unica Epistola ad Philippenses, perspicuitate et simplicitate elegans, ac fidei charitatisque Polycarpianae praestantissimus et euidentissimus character. Vid. IRENAEVS III, EVSEBIVS IV, 14, PHOTIVS, eruditione critica instructissimus. De exitu et martyrio eius uid. Epistola Smyrnensium apud EVSEBIVM, IV, 15. Damnatus ad rogum comburi non potuit, sed, gladio transfixus, decessit, confessionemque sanguine obsignauit. Etsi enim hostes cupiebant, ut certamen bestiarum experiretur, tamen id recusauit Philippus Asiarcha ob iam tum editum amphitheatrale spectaculum, atque uisioni et uaticinio eius fides extitit. Marcionem, sibi occurrentem, primogenitum satanae appellauit, et pro ecclesiae pace semper Deum orauit, ac, Romam profectus, ab ANICETO, urbis

urbis Episcopo, summopere cultus est, et in quaestione de Paschate, non ad fidem, sed ad ritum ecclesiae, pertinente, libertatem ecclesiae Orientalis defendit, prout testatur IRENAEVS, ex eoque EVSEBIVS repetit et confirmat. Non solum pagani, sed etiam Iudaei, ad supplicium de eo sumendum cohortati sunt, neque uero Romam, ut IGNATIVS, martyrii causa, perductus est, sed Smyrnae coronam martyris sub AVRELIO, Imperatore, A. CLXIX, alii CLXX, tulit. IGNATIO autem, iure Quiritium, non potuit irrogari supplicium, ut bestiis obiiceretur, quia Antiochia ius ciuitatis Romanae habuit, nec Romam perduci debuit, nisi Traianus id speciatim uoluisset et edixisset. Tota ceteroquin de POLYCARPI martyrio Epistola edita est a IAC. VSSERIO Londini, atque hinc H. VALESIVS Hist. Eusebianae supplementum fecit, IV, 15. Conf. HALLOIX, qui pariter eam euulgauit, de qua nonnulli dubitant, sed eius ueritas manifesta est, et nihil, religioni morumque disciplinae repugnans, complectitur, character quoque Graecus aeuo ecclesiae Graecae optimo simpliciſſimoque respondet. Eiusdem prudentia cernitur in communicatione cum ANICETO, Episcopo Rom., et necessitudine amicitiae cum IGNATIO contracta. Vterque enim animo et fide coniunctissimus, et uterque etiam IOANNIS, Apostoli, discipulus fuit.

IX PAPIAS, Hierapolitanus in Asia Episcopus, ultimis Traiani temporibus uixit, scripsit ac floruit. Pius quidem et eloquens uir, sed non magno iudicio praeditus, et allegoriis paraboliſque nimium deditus, et in traditiones erroremque de regno CHRISTI, mille annis post resurrectionem duraturo, abreptus, de quo uid. IRENAEVS, et post hunc EVSEBIVS H. E. III, 39. Nemo sane omnium retro seculorum fuit, qui tantum tribuit traditionibus, quantum hic PAPIAS, a quo Chiliastae errorem suum acceperunt. An uero PAPIAS omnino ita senserit, dubium uideri potest, quod tota res IRENAEI narratione nitatur, cuius scripta maiorem partem deperdita et uersione interpolata sunt. Nam libri V de Explanatione oraculorum Domini memorantur, et PAPIAE uindicantur, qui tamen hodie non extant, sed ad unum omnes perierunt. Fragmenta etiam nunc reperiuntur, et usque ad HIERONYMI tempora durarunt, ut ex HIERONYMI Epist. XXVIII,

 liquet.

liquet. Tum uero multi fuerunt PAPIAE, a quibus noſter facile diſtinguitur titulo et munere. Prudenter EVSEBIVS ſcribit de PAPIA, et indicat, ſe in eius libro non legiſſe, quod uulgo de eo traditur, atque eo magis in dubium uocari debent eius traditiones, de quibus tam multa apud ueteres ac recentiores circumferuntur. Vid. III, 39. Vtcunque ſit, PAPIAS iudicio laborauit, et narrationibus, quas accepit, nimium confiſus eſt, et pleraſque non recte intellexit et aſſecutus eſt, et tanto magis haec ratio cauendi eſſe debuit IRENAEO, ut grauiter monet EVSEBIVS, d. l. Quo mortis genere deceſſerit, non ſatis liquet, niſi quod in Martyrol. Rom. ad XXII Februarii diem refertur, quod probabiliter admitti poteſt, quanquam de eo tacent EVSEBIVS, ſed tradunt nihilo minus ſequiorum temporum ſcriptores, nec Martyrologii nulla eſt habenda ratio, etſi tuto ſemper ei non creditur, maxime, cum aperta monumenta eidem repugnent, quod contra BARONIVM tenendum.

X IVSTINVS Martyr, Priſci Bachii filius, cuius et ingenium, et uita, merito celebratur, ex Palaeſtina Neapoli, Samaritanorum urbe, quae poſtea Flauia Caeſarea dicta eſt, oriundus, et philoſophiam Platonicam profeſſus, ex occaſione colloquii, cum ſene aliquo Chriſtiano habiti, deſiderium lectionis Prophetarum cepit, atque hoc modo ad Chriſtianam religionem traductus eſt, quod ex principio Dialogi cum Tryphone patet. Quorſum uid. HIERONYMVS C. XXIII in Catal. Script. Eccl. Cum enim ex ſenis illius ſermone intelligeret, fuiſſe aliquos Dei amantes uiros, longe antiquiores philoſophos, qui beati et iuſti, diuinituſque afflati, futura praenuntiaſſent, adductus et inuitatus eſt ad perquirendos Prophetas, atque hoc modo Chriſtianus euaſit, et Chriſtianorum coetui ſe adiunxit, et denique uerus, ut ipſe fatetur, philoſophus fieri coepit, ueram felicitatis metam contigit, ac de eccleſia bene meritus eſt, editis duabus pro religione Chriſtiana Apologiis, quas Antonino Pio et Antonino Vero, Aurelioque, philoſopho, inſcripſit. Similiter Paraeneſis ad Graecos, id eſt, gentes, et Dialogus cum Tryphone, Iudaeo, egregia ſunt Patris huius monumenta. Liber de Monarchia Dei, de Anima, et qui Pſaltes inſcribitur, perierunt. Liber Quaeſtionum et Reſponſionum ad orthodoxos

non

non est IVSTINI. Pariter sequiorum temporum est Expositio fidei de recta confessione, indicio aliquot uocabulorum, serius receptorum. Similiter νοθεία laborat Epistola Marci, quam tamen BARTHIVS adducit in Animaduersionibus ad Claudianum p. 749. Editio IVSTINI SYLBVRGI est optima, it. Stephani, 1551, pure Graece Parisiis, Plantin., in 8, castigatissima. Stylus eius non est floridus, sed magis philosophicus, et liberior etiam iuxta philosophiam Platonicam. Aliqua ex traditionibus incertis et non rationibus desumpsit, ut ea, quae in Simone Mago et Sibylla Cumana memorauit. Aliqua dextre intelligi et recte explicari possunt, cuiusmodi est illud, quod de spelunca tradit, in qua Christus, Seruator, natus est, quae spelunca non cum BARONIO in suburbio, sed intra Bethlehemi urbem, quaerenda est, ut spelunca ibi domum notet, quae, in modum speluncae colli, seu cliuo, fuerit superstructa. De scriptis IVSTINI uid. C. BARONIVS, R. BELLARMINVS, A. POSSEVINVS, D. PETAVIVS, A. RIVETVS, COCVS, et plures alii. Conf. DALLAEVS, HALLOIX, ac recentiores plerique, etiam KORTHOLDVS. CHRISTOPH. SANDIVS putat, autorem Expositionis fidei fuisse Sabellianum, quod asserit, sed non probat, nec recte reprehendit BELLARMINVM et POSSEVINVM, quando autoritate huius libri sub nomine IVSTINI contra Socinianos utuntur, quoniam loquuntur de IVSTINO, uulgo sic inscripto, quem tamen ii non ignorabant, esse alius, sed tamen boni et antiquissimi, scriptoris. Alioquin IVSTINVS accurate et subtiliter disputat in quaestione dogmatis, et contra traditiones insurgit, dicitque, proprium esse dementium hominum, consuetudinem praeferre ueritati. Soli Deo et solis eius institutis fidem habendam esse, pronuntiat, non humanis traditionibus, confugiendum ad scripturas, ut in omnibus tuti simus. Quo uid. eius Dialogus cum Tryphone, ex quo hodiernae Latinorum traditiones refelli possunt. Sub Aurelio passum, tradit EVSEBIVS, alii, sub Anton. Pio id accidisse, affirmant, sed a Chronologia longius recedunt. Aliqui annum martyrii eius reiiciunt in A. C. CL, alii CLXV. Quorsum conf. PETAVIVS ac PHIL. LABBEVS, uiri doctissimi. CORTERIVS annum L suppeditat, ita, ut annus centesimus subintelligendus ueniat et supplendus. Vulgo ei erro-

errorem Chiliastarum obiiciunt, quem alii benignius ab eo amoliuntur.

XI MELITO, Episcopus Sardensis in Lydia, ingenio potius declamatorio, quam astricto et philosophico, praeditus, laudatur et elogio ornatur a TERTVLLIANO apud HIERONYMVM, qui iuxta cum EVSEBIO eius opuscula recensuit. Ille in Catal. Script. Eccles., hic in H. E. IV, 4 et 20, ubi extat Fragmentum Epistolae ad ONESIMVM, et celebratur in primis liber eius de Deo incarnato, in quo deceptus ORIGENES, MELITONEM Deo corpus tribuisse, existimans, cum is τὸ σῶμα et τὴν οὐσίαν pari significatione usurpet. Liber de Transitu Mariae est suppositus, quod multis argumentis probo, partim indicio styli, qui recentior est, partim argumento mythologias, absurditatis, et falsae interpretationis, quam Patres antiqui, usque ad NAZIANZENI tempora, ignorarunt et auersati sunt, ut liber ille, non inani ratione, post NAZIANZENVM et scriptus, et editus, uideatur. HIERONYMVS eum legit et improbauit, etiam GELASIVS, Pontifex, et omnes ferme sequentes ecclesiae doctores, atque inter hos in primis EVSEBIVS, de hoc MELITONIS libro nihil tradiderunt, atque hanc Mariae assumptionem uel silentio suo reiecerunt.

XII ATHENAGORAS scripta pro Christianis Apologia celebratur, quae etiam nunc extat, et accurate eleganterque confecta est, qua calumnias paganorum multo et acri iudicio confutauit, neque tamen eius meminit EVSEBIVS, neque HIERONYMVS, quod de HIERONYMO quidem non est mirum, quippe qui per omnia secutus est EVSEBIVM, atque Catal. Script. eccles. ex historia EVSEBII confecit. EVSEBIVS autem eum praeteriit, fortasse, uel, quod breuior esset, uel, quod occasio eius non ferret. Extat quoque eius liber de Resurrectione mortuorum, diligenter et pie scriptus, qui cum Apologia reperitur in edit. Paris. IVSTINI MARTYRIS, et obuius est in Biblioth. Patrum.

XIII THEOPHILVS Episcopus Antiochenus fuit, cuius mentio est apud EVSEBIVM H. E. IV, 22, et HIERONYMVM in Catal. Script. eccles. Tres libros ad Autolycum, hominem paganum, pro defensione

sione Christianae religionis, emisit, eosque erudite et eleganter conscripsit, in quibus religionis Christianae ueritatem asseruit, et absurdam gentilium θεογονίαν explosit. Praeterea conditum mundi tractauit, et historiam complexus est, atque omnes ueritatis hostium calumnias diluit, et grauiter confutauit. Liber contra Marcionem intercidit, reliqua eius opuscula THEOPHILI nomen mentiuntur, et stylo argumentoque eius non conueniunt. Monumenta eius in Biblioth. Patrum extant.

XIV TATIANVS, Syrus, et IVSTINIANI MARTYRIS auditor, cuius multa deperdita sunt, Orationem contra gentes posteritati reliquit, quae prorsus erudita est, et digna lectu, extatque in editione IVSTINI et Biblioth. Patrum. Viuo IVSTINO MARTYRE, bonus et integer, purusque et orthodoxus, fuit TATIANVS, sed ab eius excessu in haeresin VALENTINI et Encratitarum est prolapsus. Vid. TERTVLLIANVS de Proscriptionibus c. 52, IRENAEVS 1, 39, contra haereses, EPIPHANIVS haeresi 47.

XV EGESIPPVS, cuius omnes libri v amissi sunt, tantum in fragmentis supersunt apud EVSEBIVM H. E. IV, 8 et 21, et II, 23. Alius est EGESIPPVS, excidii Hierosolymitani scriptor, Constantino M. posterior, uel argumento dictionis et memoratae ab eo Constantinop. urbis, qui partim Coloniae seperatim, partim in Biblioth. Patrum editus est, de quo uid. VOSSIVS de Hist. Gr., et PHIL. MELANCHTHON in Praef. EGESIPPI.

XVI IRENAEVS, Lugdunensis Episcopus, quem praecessit POTHINVS, qui, nonagenario maior, martyrium subiit, POLYCARPI auditor, et POTHINI, martyris, in ecclesia Lugdunensi successor fuit, qui Graece scripsit, quod indicant Fragmenta Graeca, quae apud Patres extant, et interpretatio librorum, aduersus haereses, quae passim Graecismum indicat et ostendit. Eam uero ab ipsomet IRENAEO factam esse, nulla idonea ratione probari potest. Quinque libros accurate et diligenter edidit FRANC. FEVARDENTIVS, addiditque erudita scholia et annotationes, etsi eius sententiae plerumque deprauantur, ut uidere est apud NATALEM ALEXANDRINVM, cum disputat contra Centuriat. Magdeburgenses, neque ea coniectura uera est, qua ducuntur

cuntur FEVARDENTIVS et POSSEVINVS, qui putant, uerſionem Graeci Cod. adornaſſe. Martyrem fuiſſe, docent Martyrologia recentiora, etſi de eo nihil eſt apud EVSEBIVM et ueteris eccleſiae Patres. POLYCARPI diſcipulus in Aſia, iam aetate prouectus, in Occidentem, nominatimque Galliam, peruenit. Hic docti mirantur, cur IRENAEVS POLYCARPI meminerit, non IGNATII, cuius rei expedita eſt ratio, quod IRENAEVS in primis diſputaret aduerſus haereticos, traditionibus uaniſque ſuis opinionibus nixos, ad quos refellendos commode utebatur autoritate POLYCARPI, qui unam et ſolam Apoſtolicam ueritatem eccleſiae ſufficere, affirmabat. Tanto ergo magis POLYCARPVM adducit, quanto familiarius cum illo Romae erat uerſatus. Etenim coram Romae uiderat, et eo libentius autoritate uenerandi huius ſenis utebatur.

XVII Hinc quaedam regulae et conſectaria eliciuntur, I martyres, quamuis Deo chariſſimos, nondum eſſe religioſo honore affectos, quod euincit Epiſtola SMYRNAEORVM, quae conſcripta eſt de martyrio POLYCARPI, quam edidit VSSERIVS, II martyrum reliquias diligenter collectas et cuſtoditas eſſe ob ſepulturam et uenerationem, meritorumque recordationem. Saepe enim ueteres Chriſtiani ad martyrum tumulos conueniebant, atque ibi conciones et commemorationes eorum inſtituebant. Erat uero martyrium euangelicum, ſigillatim ita dictum ob exemplum imitationemque CHRISTI, quod martyres non temere affectabant, ſed pie expectabant, et pie prudenterque ſe gerebant, ac, donec liceret, hoſtes fugiebant, uſquedum traderentur, et in ſtatum confeſſionis deducerentur. Nemo igitur debet ſe offerre, uel ingerere, martyrio, quod cuidam Phrygi male ceſſit. Nec uero illi probandi ſunt, qui non tam Dei amore, quam carnis odio, martyria ſubibant, et martyres eſſe cupiebant, ut MARCIONITAE quondam, de quibus uid. CLEMENS ALEXANDRINVS Stromatum libro IV. Ad extremum citationes ex Epiſtolis martyrum, praeſertim IGNATII, probe et circumſpecte ſunt inſtituendae, atque hinc corrigendi etiam plerique, qui ueteres, neque caſtigatas, IGNATII editiones ſequuntur, inter quos eſt apud Reformatos ANDREAS RIVETVS.

CAPVT

CAPVT III
DE
HAERETICIS

Necdum uero definebant improbi homines turbare ecclesiam, et Dei unitatem, et CHRISTI personam, labefactare, in qua salutis aeternae praesidium est. Alii enim diuinitatem, alii humanitatem, CHRISTI impugnabant, nonnulli quoque scripturae diuinae autoritatem infitiabantur, multi prophetias iactabant, nec pauci resurrectionem mortuorum negabant.

II Etenim MARCIONITAE plures deos statuerunt, prognatique ex his Appelliani sideream CHRISTO carnem tribuebant, ut ex TERTVLLIANO aduersus Marcionem liquet. ENCRATITAE magnam et mirabilem abstinentiam a carne, uino et re uenerea, prae se ferebant, in eucharistia aquam pro uino adhibebant, atque hanc ob causam Hydroperastatae et Aquarii dicebantur. MONTANISTAE secundas nuptias damnabant, et multa alia superstitiose faciebant. CHILIASTAE terrenum CHRISTI regnum mille annis duraturum post eius resurrectionem somniabant, quae opinio multis Patribus, etiam antiquissimis, placuit, et propter eorum autoritatem damnata non est, tandem uero haec ipsa secta extincta est, et ultimus, qui Chiliasmum defendit, APOLLINARIS fuit.

III Sigillatim inter haereticos et malae notae doctores HELCESCITAE doctrinam uitamque contaminarunt, et CHRISTVM in communis hominis loco habuerunt, nec de Spiritu S. rite senserunt, quippe quem dixerunt esse feminam, negaruntque, oris confessionem in statu persecutionis esse necessariam, ut alias eorum superstitiones taceam, quae legi possunt apud EPIPHANIVM Haeresi XIX, sq. Vltima horum origo ducitur ab Ebionaeis, CHRISTI aeuo proximis.

IV CARPOCRATES, imperante Adriano, surrexit, qui CHRISTVM ex Iosepho et Maria ordinaria nascendi conditione progenitum, affirmauit, et honesti turpisque discrimen sustulit, resque corporeas ab Angelis productas esse, docuit, et Filium nihilo meliorem habuit,

qui Epiphanes nominatur. Vid. IRENAEVS libro aduersus haereses I, 24, EPIPHANIVS Haeresi XXVII, EVSEBIVS IV, 7.

V CERDON et MARCION unitatem Dei oppugnarunt, nec minus VALENTINVS, atque eius sectatores, multitudinem deorum confinxerunt, Gnostici pariter multos deos, deorumque combinationes, asseruerunt, et CARPOCRATEM, magistrum, secuti, nullum non libidinis foeditatisque genus admiserunt, atque ipsam etiam hanc uitam omnium rerum esse finem, censuerunt, resurrectionem negarunt, et Christianum nomen impura uita atque obscenis moribus in odium contemptumque adduxerunt, de quibus uid. IRENAEVS I, 34, TERTVLLIANVS in Apologet., in primis EPIPHANIVS, qui diligenter conquisiuit, et accuratius euoluit, Gnosticorum libros, Haeresi XXVI, sq.

VI Omnes hi ex ultima SIMONIS MAGI schola prodierunt, et partim Stoicae, partim Platonicae, philosophiae corruptelas, partim ex Theogonia HESIODI fabulas, et alia mentis improbae deliria, addiderunt, inter quos MARCION, Stoicorum sectator et MANETIS prolusor, duos deos admisit, alterum bonum, alterum malum, asserens, contra quem figillatim scripsit TERTVLLIANVS, et duos etiam Christos ab eo traditos esse, affirmauit in libro aduersus Marcionem. VALENTINVS autem in Platonem et Graecorum poetarum fabulas se demittebat, monstraque aeonum comminiscebatur, CHRISTIque corpus non ex utero uirginis, sed ex coelo, sumptum esse, contendit, et uoluptati impuroque amori indulsit, et Catholicos per contemptum animales et simplices appellauit, contra quem et asseclas eius scripsit TERTVLLIANVS, atque indicauit, ambitione ductum, et repulsae, quam acceperat, indignatione percitum, se commouisse ad haeresin inuehendam, ut, cum spe episcopatus excidisset, famam sibi quibuslibet artibus comparare, et stulta scurrilique audacia ueritatem oppugnare, uoluisset.

VII HERMOGENES materiam Deo coaeternam finxit, idque partim ex philosophia Stoica, partim Aristotelica, partim ex SIMONIS MAGI impia secta, hausit, propterea, quod in eius schola primo Deus bonus, tum ei materia συνυπάρχσα, quam nunc Helenam, nunc Prunicam, appellauit, ac demum Deo bono contrarius et malus, impie

pie assertus fuit. Ac HERMOGENES quidem dixit, et propugnauit, omnium rerum ex materia ista coaeterna productionem, et, quod hinc sequitur, negauit, Deum hanc uniuersitatem mundumque ex nihilo fecisse. Contra quem docte et diffuse scripsit TERTVLLIANVS, qui hominem imperitum et loquacem uocauit, nec minus turbulentum et impudentem. Praeterea eum impugnauit ORIGENES, ut testatur THEODORETVS Haeretic. fabul. III, et LACTANTIVS Diuin. institut. II, 9, THEOPHILVS ANTIOCHENVS apud EVSEBIVM H. E. III, 24. Conf. idem de Praeparat. Euangel. VII.

VIII TATIANVS initio rectus et pius, sed post IVSTINI MARTYRIS, doctoris sui, tempora in haeresin Valentinianorum et Encratitarum abreptus, aeonas docuit, et πολυθεότητα astruxit, matrimoniumque damnauit, et animantium uinique usum malum esse, improbisque conuenire, censuit, meramque aquam mysteriis adhibuit, unde Encratitae dicti sunt Hydroparastatae, quin et Adamum non esse saluatum, dicere ausus est apud IRENAEVM I, 31, EVSEBIVM IV, 27, EPIPHANIVM Haeresi XLVI, sq., et denique, apud THEODORETVM Haeretic. fabul. I.

IX MONTANVS Cataphrygorum haeresin auspicatus est, qui donum prophetiae iactauit, sed pecuniae munerumque corrogandorum studio declarauit, inane et falsum esse, quod de se affirmabat. Montanistae hunc sectae autorem, ut paracletum coluerunt, nuptiasque secundas damnarunt, matrimonia dissolui posse, existimarunt, ieiunia sub necessitate salutis sanxerunt, peccatoribus fere uniuersis ecclesiae ianuam obseruarunt, et nusquam in persecutionibus fugiendum esse, docuerunt, idque ex paracleti sui ueneratione et zelo, contra quam Marcionitae, qui tantum odio carnis martyrium expetierunt, perinde, ac si caro a deo quodam malo condita fuisset, in quo MANETI prolusserunt. Contra quos uid. CLEMENS ALEXANDRINVS Strom. IV, EPIPHANIVS Haeresi XLVIII, et simul de Pepuzianis, Montanistarum sobole, EVSEBIVS H. E. V, 3.

X In MONTANI haeresin prolapsus est TERTVLLIANVS, siue ambitione, siue indignatione, ob episcopatum Carthaginensem sibi

interceptum, uel ereptum, de quo uid. IAC. PAMMELIVS, caſtigatae editionis TERTVLLIANI autor. Atqui uero TERTVLLIANVS de Filio Dei recte ſenſit et docuit, et de tota SS. Triade, neque Deum, dixit, eſſe corporeum, etſi Montaniſtae a MONTANO deinceps deflexerunt. Negauit, Deum ab aeterno eſſe dominum, ſubſtantiam uero et poteſtatem Dei non impugnauit, neque infitiatus eſt, Deum ab aeterno eſſe patrem. Obſeruanda hic occaſio diſputandi contra HERMOGENEM, qui molem et materiam Deo coaeternam ſtatuebat. Nempe Pater eſt Deus ab aeterno, ſed non Pater rerum ab ſe conditarum fuit ab aeterno, non iudex, non dominus, ab aeterno, quando res a Deo extra Deum nondum productae erant. Tum uero liber de Trinitate non eſt TERTVLLIANI, ſed NOVATIANI, argumento ſtyli et autoritatis Patrum ita exiſtimantium, et uero hic etiam liber NOVATIANI poſtea eſt deprauatus.

XI BARDESANES, patria Edeſſenus, natione Syrus, ſcriptis quidem eruditis de eccleſia bene meritus, ſed in VALENTINI ſectam haereſinque lapſus, ut ex EVSEBIO et EPIPHANIO liquet. Eodem fere tempore ARTEMON, et eius diſcipulus, Theodorus Byzantinus, affirmarunt, CHRISTVM merum eſſe hominem, quem eccleſia reiecit, VICTORQVE ROMANVS damnauit, apud EVSEBIVM H. E. v, 27.

XII APELLES non recte ſenſit de Dei Filio, quem ait, deſcendiſſe e coelo, corpuſque ex quatuor elementis affinxiſſe, ac deinde ſolam animam coelo reddidiſſe, quod more ſuo reticet CHRISTOPH. SANDIVS, et hiſtoriae ueritatem corrumpit, Enucleatae Hiſt. I. Recte autem MARCIONITAM uocat, cuius ſane diſcipulus fuit, cuiuſque haereſin reduxit, quin etiam Montaniſtam appellat.

XIII Similiter OPHITAE et CAINIANI Valentinianos, Adamitae Gnoſticos, ſecuti, de quibus uid. EPIPHANIVS Haereſi XXXVII, XXXVIII, LII. Ac priores quidem duo ueritatem carnis CHRISTI negarunt, et IESVM quoque a CHRISTO impie diſtinxerunt, ut tradit THEODORETVS. Adamitae nuptias auerſati ſunt, et promiſcuos concubitus, atque uxorum communionem, permiſerunt, autore eodem THEODORETO Haeret. fab. 1, 6, AVGVSTINVS in libro de Haereſ. VI.

XIV

XIV Ex quibus intelligitur, personam Filii Dei ex duabus naturis constantem, semper in ecclesia creditam, atque eius impugnatores et hostes reiectos, atque ecclesiae communione prohibitos, et, quod hinc sequitur, ARII dogmata iam diu ante ARIVM damnata fuisse et proscripta. Neque est, cur hic sibi indulgeat C. SANDIVS, quippe qui scriptores antiquos falsitatis coarguere studet. Nam, si de monachis et plerisque sequioribus dici cupiat, multas fabulas irrepsisse, non infitiamur, praesertim in secta MONTANI, ut iam diu ante SANDIVM DION. PETAVIVS, et alii uiri docti, perspexerunt, qui MONTANI, et similium, haereses non ex monachorum fabulis, sed ex antiquorum Patrum scriptis, adducendas et refellendas esse, ultro fateamur. Illud autem SANDIO non concedimus, quod Arianis subsidia quaerit, eosque passim excusat et fouet, aliquando etiam pleraque omittit cursimque transit, ac tantum non blasphemo more de Trinitate philosophatur. Nobis sane certum est, tribus prioribus seculis unam et eandem de Trinitate, et de persona Filii Dei, ueritatem pariter traditam, ac defensam, haeresesque uno animo et mente explosas et condemnatas fuisse. Etsi enim Patres in uarias saepe opiniones discesserunt, atque interdum in errorem prolapsi sunt, tamen de Trinitate ac de Filio Dei recte senserunt, in aliis uero interpretationibus errarunt, IVSTINVS MARTYR, IRENAEVS, TERTVLLIANVS, aliique.

XV Omnibus autem modis studebant Christiani ueteres, ut se se munirent contra haereticorum fraudes, tesseraeque communionis et hospitalitatis mutuas haberent. Quam ob rem repertae ac receptae sunt literae Canonicae, seu formulae, quae ab ipsis Patribus Nicaenis originem ducere uidentur. De quibus uid. PHIL. PRIORIVS, FRANCISCVS BERNARDINVS, IO. LVDOV. RVELIVS, ac denique CABASVTIVS. De epistolis communicatoriis tradidit VALESIVS in Annotat. ad EVSEBIVM.

XVI Huiusmodi epistolae, quae dabantur ab Episcopis proficiscentibus ac peregre euntibus, non unius erant modi. Aliae enim erant communicatoriae, quae proprie dictae sunt Canonicae, aliae tractatoriae, aliae paschales. Epistolae primi et secundi ordinis facile et per se intelliguntur, tractatoriae ad emolumenta et utilitatem Cle-

ricorum pertinebant, ut sumptus haberent et uiatica ad itinera, ecclesiae nomine facienda. Paschales ad calculum spectabant, diemque Paschalis feriae indicabant, quam ob causam literae Encyclicae, quas uulgo circulares uocant, dimittebantur. Huc pertinent Canon Synodicus Concilii Carthaginensis VII. Summatim hoc negotium dirigebatur ad consensum inter fideles et orthodoxos, in una religione et omnibus sanctitatis charitatisque officiis retinendum, quod ex TERTVLLIANO, CYPRIANO, OPTATO MILEVITANO, AVGVSTINO, et aliis Patribus, abunde constat.

SECVLVM III

CAPVT I

DE

RITIBVS

Doctrinae et uitae, morumque, sanctitas, hoc seculo adhuc uiguit, necdum superstitio recepta est, rituque modici, et disciplina Christianorum digni, adeo, ut hoc seculum, cum duobus prioribus, regulam quandam innocentiae et praxeos ecclesiasticae, specimenque prisci et ingenui moris, censuraeque grauioris, praebere uideatur. Virgo adhuc ecclesia erat, et puro simplicique cultu utebatur, rigoremque exemplo demonstrabat, et saepe etiam rigoris modum excedebat, ut ex usu exemplisque huius seculi constat. Quorsum conf. TERTVLLIANVS, uir exactae seueritatis, et longaeuus admodum, qui initio huius seculi decessit. Item CYPRIANVS, qui durior quoque apparebat, sed moderatior tamen, qui negotium de uenia lapsis danda differri cuperet, ac per Synodum quandam decidi.

II Eodem tempore potestas abigendi daemonas Christiani nominis gloriam illustrauit amplificauitque, et idololatriae autorem confudit, ut deinceps eos mendacii sui puderet, nec tam audacter et publice se deos profiterentur. Nam apud Christianos iussus loqui, Christianae pietatis hostis, daemonem se profitebatur, et a paganis et non Chri-

Christianis hominibus deus haberi uolebat, atque ab iis interrogatus, deum se esse, impudenter affirmabat, ut est apud TERTVLLIANVM Apologet. XXIII. Conferatur FILESACIVS, theologus Gallus, de Idololatria magica p. 17, sqq. Quibus rebus res Christiana feliciter aucta est, deiecto de affectatae diuinitatis praesidio daemone, et excusso magiae fundamento, in quo innitebatur daemon, et homines, magiae idololatricae laqueis irretitos, sub iugo suo tenebat, et uehementer affligebat, ac nomen cultumque diuiniorem sibi arrogabat, ut liquet ex TERTVLLIANO de Anima. Sed hanc impudentiam precibus uotisque expugnarunt, donumque exorcismi familiare habuerunt. Hic enim ritus nunquam apud paganos fuit, sed Christiani nominis proprius, prout ex TERTVLLIANO, qui omnium rituum ueteris ecclesiae locupletem et accuratam notitiam habuit, confirmari potest, quod ex eius libro de Idololatria constat, ubi locus plane alienus est, qui pro exorcisatione paganorum affertur.

III Aegre id ferebat diabolus, et subtiliorem impingendi criminis idololatriae rationem inueniebat, ut Christiani necessitate mandatorum gentilium constricti, et acerbissimorum adeo suppliciorum metu ad aras tantummodo accederent, et uel unum thuris granulum in aceram mitterent, quo pacto futurum sit, ut magistratus pagani acquiescerent, poenasque relaxarent. At enim uero id callidum erat inuentum, et id idololatriae crimen haudquaquam purgabat. Qui enim id faciebant, diis sacrificasse, censebantur, et sacrificatis quoque annumerabantur, quod communione cum gentilibus interdicta uterentur. Id quod ex TERTVLLIANO et CYPRIANO satis intelligi potest, qui passim id reprehendunt.

IV Quare primi Christiani prorsus a thure abstinuerunt, tamque religiosi fuerunt, ut ne thus quidem emerent, aut id domibus capsisque suis haberent. Vid. TERTVLLIANVS Apologet. c. XLII. Idcirco mos thuris afferendi non est actus religionis cultusque diuini, neque ritus suffumigationis ex traditione Apostolorum promanat, neque exorcismus suffumigabilium ad huius ecclesiae tempora pertinet, cui nimium tribuitur ab ecclesia Romana sequiori, postquam ad superstitionem deflexit. Tametsi haec dicit, se thure non tam sacrificare Deo, quam

quam certum aliquid repraesentare, atque eo effectum gratiae significare, et thurificato altari omnes per ordinem thurificare. Vid. ANT. BELOTTE in Obseruat. ad ritum eccles. Laudunensis p. 753.

V Grauiter castigat infideles paganosque TERTVLLIANVS, atque etiam eos, thus offerentes, auaritiae accusat, et simul reprehendit idololatricum thuris sacrificium, quando praefatus, se offerre opimam et maiorem hostiam, non grana thuris unius assis, non Arabicae arboris lacrymas, nec duas meri guttas, in Apologet., c. 30. Etenim Christianorum oratio de carne pudica, de anima innocenti, et de spiritu, profecta, ei pro hostia est, et omni sacrificio melior habetur. Cum TERTVLLIANO consentit, et praeclare hoc fidei orationisque sacrificium describit HVGO VICTORINVS de Mysteriis c. 3.

VI Conueniebant autem Christiani ueteres ad coemeteria et tumulos martyrum precationis causa adhuc praesenti seculo, quo Imperatores acerbius in Christianorum nomen consulebant. ANTONINVS CARACALLA, uita moribusque impurus, patrem occidere uoluit, Getamque fratrem, interfecit, et amantissimum iustitiae PAPINIANVM e medio sustulit, uirgines que Vestales uiuas defodi iussit, quarum ipse unam uitiauerat, tum nouercam duxit, et libidine omnia compleuit, sed Christianis nihil mali intulit, et quibusdam lacte Christiano imbutus dicitur. Quem excepit MACRINVS, una cum filio DIADVMENIANO, Princeps crudelis, uitiisque infamis, sed uix annum in imperio exegit, nec Christianos afflixit. Tum HELIOGABALVS, lingua Phoenicia solis sacerdos dictus, turpitudine uitae SARDANAPALVM reddidit, et omnes ad unius idoli sui cultum pertrahere uoluit, sed in conatu periit, et omnibus inuisus atque execrabilis, uitam imperiumque finiuit, in Tiberim proiectus, unde et Tiberinus dicebatur. Inde ALEXANDER SEVERVS rerum potitus est, qui leges diligenter seruauit ac defendit, castus item, prudens et fortis, extitit, nec Christianos odit, sed eorum fautor fuit, et a consiliis habuit VLPIANVM, magni nominis ICtum, sed, quia in animaduertendo erat seuerior, a Maximino est occisus. MAXIMINVS, ex Thracia oriundus, ex bubulco Tribunus, ex Tribuno Imperator, ab exercitu electus est, qui non modo in suos saeuiit, sed etiam Episcopos, Cleri-

Clericos et Christianos, morte et exilio mulctauit. Hinc noua haec ecclesiae uexatio appellanda est, quae aliis VI, aliis VII, memoratur. Post eum BALBINVS et PAPIENVS a Senatu constituti, uno tantum anno imperarunt, quos secutus est et GORDIANVS III, quo imperante styli facies mutata, et astrictior conciſiorque facta, est, ut cum ex legibus et decretis GORDIANI, tum ex scriptoribus eius aeui, constat. Asciuit sibi collegam coactus, et PHILIPPVM ARABEM in regnandi consortium accepit, a quo et occisus est, cum sex annis imperasset, a Senatu inter diuos relatus.

VII PHILIPPVS ARABS inter Imperatores primus memoratur Christianus, quod tamen alii suspectum reddunt, et mores profecto eius cum doctrina Christiana minime congruunt, quo imperante, Roma millesimum urbis annum exegit, ac solenniter celebrauit. Etsi autem Christianus fuit, ut EVSEBIVS tradit, tamen publicam Christianae doctrinae professionem non edidit, et hanc demum gloriam CONSTANTINO M. fruendam reliquit.

VIII Post PHILIPPVM DECIVS imperium susceپit, crudelissimus Christianorum hostis, qui duorum spatio annorum multum Christiani sanguinis exhausit, supplicisque passim editis, martyres plurimos effecit, atque haec est persecutio VIII.

IX Postea VIBIVS GALLVS imperium inuasit et uexationem Decianam non intermisit, sed continuauit, sed, nondum exacto triennio, occisus est, cui VALERIANVS, cum filio GALLIENO, successor datus electusque est. Primum Christianis indulgens, deinde in crudelitatem uersus, horrendam uexationem excitauit, quae CYPRIANVM sustulit, et alios uiros innocentes. Sed VALERIANVS a Persis, cum quibus infeliciter conflixerat, captus, scabelli uicem praebuit Regi Persarum, donec excoriatus et sale conditus decessit. GALLIENVS, filius, et collega eius, ignarus regendi Princeps, felicior tamen VALERIANO fuit, et XXX imperii tyrannos debellauit, qui etiam pacem ecclesiae dedit.

X Ab excessu GALLIENI CLAVDIVS, Princeps frugi et moderatus, belloque egregius, imperauit, sed in conatu nocendi Christianis sublatus est, cum uix duobus annis imperio praefuisset. Inde

AVRELIANVS edictum contra ecclesiam promulgauit, quae persecutio IX a quibusdam nominatur.

XI TACITVS AVRELIANO suffectus est, qui pacem ecclesiae restituit, et febri correptus diem obiit cum uix semestre imperasset. AVRELIVS PROBVS deinceps Imperator seuerus et grauis, cum sex annis imperasset, interfectus est, Christianis nullam uim intulit, quem excepit AVRELIVS CARVS, qui duos filios habuit CARINVM et NVMERIANVM, alterum probum, alterum prodigum et profligatum, fulmine tactus decessit. Hinc DIOCLETIANVS, ad imperium euectus, collegam sibi adiungit MAXIMIANVM, cognomento Herculeum, qui ultimam et uehementissimam ecclesiae uexationem instituit, et ius occidendi impune Christianos permisit, totumque hoc genus, quod CHRISTVM coleret, exscindere decreuit. Sed is confusus et conturbatus, quod consilium perficere non posset, imperio se abdicauit, et simul collegam abdicare se coegit. Vid. huic σύγχρονος, ARNOBIVS in libro contra Gentiles.

XII Redeo ad institutum, et ad Christianorum, ad martyrum tumulos uenientium, morem reuertor, quo deinceps factum est, ut illis in locis memoriae et pietatis causa templa conderentur, quae a martyribus et sanctis nomina acceperunt, tum eandem ob causam mortuos prope martyrum sepulcra recondere ac sepelire coeperunt. Quae consuetudo iam inde ab aeuo POLYCARPI inualuit et recepta est, post cuius martyrium Christiani sibi de conuentu et celebratione eius natalis gratulati sunt, quod autore EVSEBIO constat, IV, 14. Quare tyranni et uexatores ecclesiae hoc ad sepulcra martyrum concursu interdicebant, et, si quis ibi deprehensus esset, poenam multo grauissimam denuntiabant, exemplo MAXIMINI, de quo est apud EVSEBIVM IX, 10. Quorsum spectat PONTIVS PAVLINVS in Actis CYPRIANI. Sed ab eo edicto relaxauit Christianos GALLIENVS, conuentusque ad coemeteria habendos permisit, atque hinc paullatim consuetudo inualuit Christianorum corpora in ecclesiis sepeliendi, quae in Galliam quoque et Germaniam dimanauit, ut ex THEODVLPHO licet probare. Nec modo ibi orarunt, memoriasque martyrum recoluerunt, sed etiam mysteria administrarunt. Mos autem sepeliendi

Chri-

Christianorum cadauera ad martyrum tumulos, atque in ecclesiis reponendi, diu ante tempora AVGVSTINI coeptus, et, exstructis postea templis, retentus et continuatus, Imperatorumque VALENTINIANI et THEODOSII edictis antiquatus est, ut testatur lex I Codicis de SS. ecclesiis, et Synodus Braccarensis, itemque Sanctio Carolina, quae extat et legitur in Capitularibus Carolinis.

XIII Sensim deinceps et sequioribus seculis, cum ritu sepulturae ad tumulos martyrum, adoleuit superstitio, atque ad martyrum intercessiones comparata est, ac tantum non desiit in idololatriam, ut ex MAXIMO et IVLIANO TOLETANO uidere est, qui merito patricinioque martyrum adiuuari sepultos, ex propinquo existimarunt. Tam facilis est saltus a ueneratione ad superstitiosam credulitatem.

XIV Simul etiam Clerici honorem illius sepulturae sibi tribuebant et exstructis templis, cumprimis Episcopi, in choro sepeliri uolebant, praesertim cum laici dignitate praediti, exemplum ab illis sumebant, idque ante alios obtinerent Patres, fundatores et patroni, quibus suffragatur Canon Concilii Bituricensis, in Gallia habiti, apud BOSCHELLVM, c. 56.

XV Nullas autem coronas mortuis dabant Christiani ueteres, in quam sententiam scribit MINVTIVS, dum ait, Nec mortuos coronamus, in erudito libro, qui inscribitur Octauius. Quo argumento probare licet, lucernas, quae in Christianorum pie mortuorum sepulcris accendebantur, non fuisse coronatas ante CONSTANTINI M. tempora, etsi postea tales reperiuntur, ut imago ostendit apud FORT. LICETAM VII, 42, et I, 32. Cruce autem sepulcra ornasse, indicant acta S. GREGORII, et antiquissimus Francorum scriptor GREGORIVS TVRONENSIS.

XVI Carmina funebria in exequiis cani solita, non est, cur dubitemus, quorum sigillatim meminerunt CHRYSOSTOMVS Hom. IV ad Hebraeos, GREGORIVS NAZIANZENVS de Funere Caesarei, et inter Latinos Patres HIERONYMVS in Epitaphio Paulae.

XVII Ac hymni quidem cum nascente CHRISTI ecclesia coeperunt, quippe quorum mentio est in prima ecclesiae aetate, et in ipsa

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1662785739/phys_0039
DFG

adeo historia Euangelica apud MATTH. XXVI, 30, atque apud EVSEBIVM, qui ex PHILONE, scriptore antiquissimo, refert, Christianos cantica hymnosque ad Dei laudem composuisse, H. E. II, 17, NICEPHORVS II, 13 et 22, DIONYSIVS I, 4, de Nominibus diuinis. Qui concinendi ritus non uariegatus, sed simplex, neque ad artis ostentationem, sed ad pietatis significationem, et animorum uoluntatumque consensum indicandum, pertinuit, diabolique inuidiam commouit, ut per PAVLVM SAMOSATENVM, huius seculi haereticum, cantus hymnosque, in honorem CHRISTI compositos, impugnaret, planeque abolendos censeret, apud EVSEBIVM H. E. VII, 30. Erant autem hi Psalmi in primis Paschales ac triumphales, quos non tantum Clerus, sed totus populus, in ecclesia congregatus, cantabat, id quod praxis ecclesiae testatur. Eo confer. BELLOTA, IOANNES BONA, Purpuratus, et HOORNBEEKIVS, ille in obseruationibus rituum, hic in Miscellaneis sacris.

XVIII Arae atque altaria lapidea, ac proprie dicta, nondum in Christianorum oratoriis conuentibusque structa erant ac disposita. Nec enim passuri erant Christianae religionis hostes, ut haberent Christiani splendidas aras et magnifica templa, dum adhuc conueniebant in locis, a splendore publico remotis, immo, et dum imminebant pericula et persecutiones, in coemeteriis, aut solitariis locis, quod recte uidetur colligi posse ex ORIGENE contra CELSVM, qui initio huius uixit. Nec uero officit, quod idem ille aras nominat τὰς βωμὰς, quippe quos allegorice ac mystice, pro more eius, intelligi oportet, quem ad modum ipse se interpretatur.

XIX Eparchiae et dioeceses nondum institutae erant, nec iure diuino, sed humano ecclesiasticoque, receptae, et boni ordinis causa approbatae, maxime in Concilio Nicaeno I fundamentum huius rei constitutum, exemplo sumpto a prouinciis, in quas imperium Romanum fuerat distinctum. Hinc uox dioeceseos in ecclesia usurpari coepta est CONSTANTINI M. aeuo. Etsi enim in Concilio iam citato nihil de dioecesi actum et definitum est, tamen in CONSTANTINI M. Epistolis, et in Codice Theodosiano, subinde dioeceses memorantur. Eparchiae autem in Concilii praedicti Can. IV

consti-

constitutae leguntur, ubi Eparchia est prouincia, sed plures prouinciae coniunctim nomine dioeceseos designantur. Vid. H. VALESIVS in Annot. ad SOCRATEM, p. 60.

XX Patriarchae nomen dignitasque nondum ecclesiae fuit cognita, nedum Archiepiscopi titulus, sed immo, Iudaei et haeretici titulum Patriarchae affectare et usurpare coeperunt, quo argumento iudicare licet, ecclesiam hoc seculo adhuc simpliciori dignitatum ecclesiasticarum titulo acquieuisse, et ab ambitioso Patriarchae nomine abstinuisse, quod, rebus Christianorum auctis et pace firmatis, Sec. IV inuectum est, quo a simplicitate et pietate superiorum temporum sensim recedebatur, et diuitiae aemulationem atque ambitionem inter Clericos concitabant.

XXI Cetera omnia, cum, quantum ad disciplinam, tum, quantum ad doctrinam, ecclesiae, recta integraque erant mysteria baptismi et coenae, sine superstitione dispensabantur, ceremoniae tamen nimis augeri uidebantur, non superstitionis, sed boni exempli, causa, quanquam ex eo deinceps orta est superstitio, et ceremoniae in immensum multiplicatae, ipsam religionis curam studiumque obscurarunt, quod sequentia et sequiora secula testantur.

CAPVT II
DE
PATRIBVS

Primus antiquissimusque huius seculi Patrum est TERTVLLIANVS, IRENAEO proximus, et ex priori seculo in hoc usque progressus, et A. CCXVII defunctus. Diu in foro uersatus est, ac deinde togam cum pallio commutauit, Presbyterque factus, rigidam regulam tenuit, nec ei cum Clero Romano conuenit, VICTOREMque, Romae Episcopum, iniquo animo tulit, et, cum eum, una cum Romano sacerdotio, mitiorem uideret, ab ecclesia secessit, atque in MONTANI dogma est delapsus, quod eius libri de Ieiuniis, de Pudicitia, de Ecstasi, qui periit, de Persecutione et Monogamia, scripti testantur. Doctus disertusque erat, sed nimium obscurus, cui in ecclesia Latina

ferme accidit, quod in Graeca ORIGENI, ut iudicat VINCENT. LIRINENSIS. Antiquitatem uariamque doctrinam eximie didicit, et multa atque egregia monumenta ecclesiae reliquit. In multis autem non tam de propriis uerbis, quam de sensu, laborat, nec unquam cum ARIO statuit, neque Trinitatis mysterium negauit, ut asseruit SANDIVS, nisi quod in MONTANI castra discessit, et orthodoxos Psychicos, nimia quadam austeritate, appellauit, nuptiasque secundas damnauit, nec sincere de libero arbitrio, neque de fide in CHRISTVM, recte semper tradidit. Libri eius uel ante Montanismum, uel in Montanismo, uel in graui senecta, scripti sunt. Primi sine nota admittuntur, reliqui iam memorati sunt, in quibus multi grauesque errores notantur. HIERONYMVS erudite ait et ingenue pronuntiat, laudare se hominis ingenium, sed haereses damnare, et eo respiciens dicit, ecclesiae hominem non fuisse, postquam nempe ad MONTANVM discessit. Vid. in Apologia aduersus RVFINVM et aduersus HELVIDIVM, et in Epistola ad Pammachium.

II CYPRIANVS, Afer et martyr, soli TERTVLLIANO antiquitate secundus, rhetoricam inter suae sectae homines docuit, et a paganismo ad ecclesiae gremium accessit, cuius stylus magis planus et perspicuus est. Antequam CHRISTO nomen dedit, uitam dissolutiorem egit, non tamen magus et ueneficus fuit. Diuersus enim CYPRIANVS est, qui magus nominatur, quamuis et hic postea religionem amplexus est, cuius meminit NAZIANZENVS. Fuit noster insigni familia ortus, et ad capessenda CHRISTI sacra inductus est, cum legeret uaticinium Ionae. Diligentiam eius celebrant scriptores. Nam ita profecit in diuinis literis, ut posthac Episcopus Carthaginiensis crearetur. Quam ecclesiam pie et prudenter moderatus est, et cum Romano Clero bene decidit controuersiam lapsorum, qui freti libellis martyrum etiam sine poenitentia in communionem ecclesiae recipi cupiebant. Quam in rem uid. CYPRIANI Epist. XIII, XIV, XV, XXIX, et Synodus Rom. A. CCLII ab Episcopo Rom. CORNELIO habita. Doctrinam non tam disputando, quam exhortando et consolando, exercuit, prout quidem tunc aetas martyrum fuit, sed in quaestione de baptismo haereticorum uehementer errauit, quem eius naeuum Patres excu-

excusant, quod nihil contra ueritatem et charitatem ecclesiae molitus fuisset. Sane, si baptismus ille ab haereticis, substantiam sacramenti retinentibus, peractus est, reiici non potuit, sed, si a Marcionitis, Praxianis, Nouatianis et Sabellianis, collatus fuerat, omnino illi retingi et rebaptizari debuerunt, qui ab haereticis, Trinitatis distinctas personas negantibus, aut confundentibus, baptizati erant. Idem uero CYPRIANVS A. CCLXI martyrium obiit, et ab AVGVSTINO atque ab ecclesia Romana maximopere laudatus fuit.

III CLEMENS ALEXANDRINVS, patria Athenienſis, sed Alexandriae educatus, et Graecae Platonicaeque philosophiae, ac omnis adeo profanae antiquitatis, peritissimus fuit. Vid. EVSEBIVS V, II, EPIPHANIVS Haeresi XXXII. Ex recentioribus conf. VOSSIVS et BARTHIVS, qui illum, ut par est, decentibus elogiis ornarunt. Doctrinam seculi, interiorem philosophiam, antiquitates Graecorum reconditas, accurate didicit, maximusque Christianorum polyhistor fuit, nisi, quod necessitatem philosophiae nimis exaggerauit, atque ante aduentum CHRISTI Graecis ad iustitiam profuisse, existimauit. Vnde promanauit, quod ipse dixit, CHRISTVM apud inferos praedicasse gentibus infidelibus, qui moratius et rectae rationi conuenienter uixissent, Strom. VI. Aliquando etiam HERMAE indulsit, et ORIGENI praelusit. De cetero euidenter probat atque ostendit, Hebraeorum religionem omnium gentilium scriptis et philosophorum esse antiquiorem, primumque extitisse legislatorem et historiographum, post Noachici diluuii tempus Mosen. Multa adducit monumenta, et libros, qui nunc quidem non supersunt. Extat inter OO. eius Protrepticus, in quo gentilem theologiam ritumque omnem erudite exponit, Paedagogus, in quo specimen est luculentum disciplinae Christianorum, Στρωματεῦς denique, seu VIII libri Stromatum, qui uariam et magni polyhistoris eruditionem complectuntur, excepto, quod scripsit, legem Mosis ante aduentum CHRISTI Iudaeis, pariterque eo temporum statu, philosophiam gentilibus ad salutem sufficisse. OO. ed. Paris. 1612, Lugd. B., 1616, f. 1629, 1641, f.

IV ORIGENES, CLEMENTIS ALEXANDRINI discipulus, patrem habuit Leonidem, sacri ordinis uirum et CHRISTI martyrem, atque Episcopum, ut

est

est apud SVIDAM. Ingenio maturo et docili fuit, ac decimo octauo aetatis anno scribere aggressus est, atque initium duxit ab opere Κατηχήσεων, et autoritate Episcopi DEMETRII suffectus est CLEMENTI, Presbytero. Inter scriptores ecclesiasticos unus omnium fuit eruditissimus criticus, et Codices atque interpretationes Bibliorum diligenter contulit ac recensuit, et literas atque studia antiquitatis percalluit. CELSVM, imperitum dissolutumque hominem, accurate refutauit, insolentiamque et uanitatem hominis confudit. Nimis autem consectatus est sensus tropologicos et mysticos, atque a proprietate contextus ad allegorias recessit, in primisque singulares et aliis ecclesiae doctoribus contrarias opiniones amplexus est, et phrases adhibuit incommodas, atque exortis deinde certaminibus notatas et publice reiectas, cum eas haeretici grauiter arriperent, atque in suam sententiam acciperent atque interpretarentur. Quare HIERONYMVS eum laudat, nostrumque uocat, ob summam eruditionem atque ingenii praestantiam. Fuit enim magnus interpres et criticus, et uasti animi uir, non uero ob dogmatum ueritatem, ut ipse HIERONYMVS se explicat in Apolog. aduersus RVFINVM. CASSIODORVS de eo iudicauit, ubi bene, nemo melius, ubi male, nemo peius, Instit. Diuin. I, I. Autor est EPIPHANIVS, omnes ORIGENIS libros ad sex millia usque peruenire, in haeres. LXIV. Scripta eius diligenter aestimarunt, et subducta ratione exquisiuerunt HOESCHELIVS et HVETIVS, Gallus, quorum alter VIII libros contra CELSVM Aug. Vindel., 1605, 4, Gr. et Lat. edidit, alter Homilias V et N. Testam. Rhotomagi, 1668, f., II uoll., Gr. et Lat. Francof., 1686, f., II uol., usque ad Ioannem, sed continuationem nondum perfecit. Censuram Operum eius ediderunt HVETIVS et PEARSONIVS, RIVETO multo eruditiores, et in critica multo praestantiores. In eandem sententiam conferatur PH. LABBEVS, qui nihil in Dissertationibus suis de editione Huetiana attexuit, quae tunc nondum exiuerat in lucem. Eum maxime tuendum susceperunt EVSEBIVS et RVFINVS, et inter Patres CHRYSOSTOMVS, sed nemo magis odit atque HIERONYMVS, qui multos et graues errores ei obiecit in Epist. LIX ad Auitum, Epist. LXI ad Pammachium, Epist. LXXV aduersus Vigilantium, in quibus haeresin eius notat, et haereticum uocat.

cat. Sic eius sententia de animarum origine singularis est apud eundem Epist. LXXXII. In primis librum περὶ Ἀρχῶν perstrinxit HIERONYMVS, ac post eum PHOTIVS in Biblioth. ecl. VIII, sed plerique alii et cordati, et eruditi, scriptores erga eum benigniores sunt, et, quod caput rei est, CHRYSOSTOMVS, magno uir iudicio, et ab affectibus liberior, eum damnare noluit, eoque EPIPHANIVM offendit. Tum ipsum tuentur et laudant EVSEBIVS PAMPHILIVS, ATHANASIVS, GREGORIVS, theologus, DIONYSIVS et DIDYMVS, Alexandrini, EVAGRIVS PONTICVS, et, quem citaui, RVFINVS, quorum aliqui citantur a PHOTIO ecl. CXVIII. Conf. SOCRATES IV, 22. Inter recentiores pro ORIGENE steterunt PLATINA, GENEBRARDVS, HALLIOXIVS, et FECHTIVS, qui singulari Disputatione eius causam egit. Etsi autem temporum inuidia, Arianorum fraude, saepe ei iniuria facta est, et multa eius nomine falso adducta suppositaque sunt, tamen Synodus Oecumenica V contra eum, eiusque libros, sententiam dixit. Neque tamen formulas ipsius, durasque et non ferendas phrases, probo, quae iam dudum notatae et castigatae fuerunt. Sane, quod in aliis Patribus, et in ipso HIERONYMO, ferimus, atque eius opiniones singulares non pro dogmatibus ecclesiae habemus, uel pari modo ORIGENI concedendum uidetur, quando multa eius deperdita, multa non recte uersa, esse, scimus. Explanationes allegoricas, argumentationes lubricas et affectatas, sententias falsas, toto animo improbo, sed reliquas eius laudes minime detrahendas, puto. Vid. HIERONYMVS in Epist. LX. ORIGENIS Opera edita sunt Basil. II uoll., 1571, Paris., 1574, 1604, 1619, Rhothomagi, 1668, per HVETIVM, quae ed. optima est, nuper in Germania recusa. Commentarium in Ioannem Paris., 1555, f., Comment. in Iobum, et de Recta in Deum fide ib., 1556, f. TARINVS edidit Philocaliam eius. VVETSTENIVS, Prof. Basil., nuper edidit Homiliam quandam Basil. HOESCHELIVS emisit libros VIII contra Celsum 1595, quos nuper edidit SPENCERVS, Anglus doctus, cum notis. PETRVS HALLOIXIVS edidit ORIGENEM defensum Leodii, 1648. Vniuersa ORIGENIS scripta duobus Tomis continentur. T. I Homiliae in Genesin, Exodum, Leuiticum et Numeros, liberum Iosuae, Iudicum, Regum, Psalmos aliquot, Can-

 ticum

ticum Cant., Esaiam, Ieremiam, Ezechielem, περὶ Ἀρχῶν, Threni, de Recta in Deum fide, Comment. in Iobum et Homiliae in eundem. T. II in Matthaeum, Lucam, Ioannem, in diuersa loca N. T. Libri eius in Epist. ad Rom., contra Celsum, item, Dialog. contra Marcionitas, Philocalia, Epitome de historia Susannae, it. Iulii Africani Epistola, et ad eandem ORIGENIS responsio. Homiliae et Commentarii ORIGENIS in uersione RVFINI et HIERONYMI, exceptis VIII Homiliis in Ieremiam, non leguntur in fontibus, deinde pleraeque Homiliae, ut in Leuiticum et Iosuam dubiae sunt, tractatus in Iobum suppositi uidentur, ita et libri in Psalmos et Threnos in dubium uocantur. Commentarii in Iobum ab Ariano quodam scripti uidentur sec. IV, quoniam autor illius oppugnat uocabula Triadis et ὁμοούσιος. Homiliae in Matthaeum et Lucam in controuersiam uocantur, et nuper etiam a IO. DALLAEO, sed ego has pro ueris monumentis ORIGENIS habeo. Sic etiam dubitatio est de Commentariis in Euang. Ioannem. De Recta in Deum fide etiam dubitant eruditi. Resurrectionem ab ORIGENE negatam, affirmat HIERONYMVS, quod tamen EPIPHANIVS et METHODIVS non referunt. Alii tamen existimant, eum docuisse, corpora non eodem modo resurrectura, sed coelestia futura. Poenitentiam post mortem concessisse, et diabolum atque angelos eius ab igne inferni liberatum iri, tradit HIERONYMVS Epist. LX, et post eum AVGVSTINVS. Originem animae humanae hanc asseruisse, refert idem, ut lapsas ex coelo animas putarit in Epist. LXXCII. Certe ORIGENES in libris uere editis nunquam scripsit tam crasse, ut quidam eius aduersarii tradunt. Scripsit quidem, Filium Dei esse creatum, eumque esse factum, et Patre esse minorem, sed inspiciendus est hic contextus, reputandus uocabuli usus, et considerandum, utrum de Filio Dei incarnato, nec ne, natura eius diuina, an humana, loquatur, et, an id ex eius scriptis uere Graecis, an ex uersione, id probetur? Tum uero HIERONYMVS iuuenis eum laudauit, et ob eruditionem industriamque aestimauit, ut aduersus RVFINVM fatetur, postea autem eius haeresin se intellexisse et improbasse, ait, CHRYSOSTOMVS, adduci non potuit, ut subscriberet damnationi librorum ORIGENIS, quod tamen EPIPHANIVS urgebat.

V MINV-

V MINVTIVS, cognomento FELIX, TERTVLLIANO aequalis, et ipso etiam CYPRIANO antiquior, ex pagano Christianus, atque ex causidico Romano cultor sacri studii, factus, librum, seu dialogum, fecit, qui Octauius inscribitur, quem FAVSTVS SABAEVS et SIGISMVNDVS GELENIVS, errore decepti, ARNOBIO ascripserunt, atque in ultimo et octauo eius libro numerarunt, sed uerum libri autorem mox perspexerunt HADR. IVNIVS, PETRVS CIACONIVS, et uiri eruditi perplures, qui argumentis idoneis id probarunt. Disputat argute, et mouet sententiis, ac pietate sensus Christianum nomen praeclare tuetur. COECILIVM, hominem gentilem, sapienter refellit, ritumque et religionem Christ. perapte defendit, discussis calumniis, quibus Christiani ob sacros conuentus epulasque lacessebantur. Reiecta paganorum religione, promisit libellum, seu potius coepti libelli partem, qua religionem Christianam assereret, pleniusque doceret, quae tamen non prodiit, atque ex AVGVSTINO sarciri potest. Quorsum uid. liber, de Catechesi rudiorum. Extant in eum commentarii et notae VVOVVERI, ELMENHORSTII, DESIDERII HERALDI, IAC. OVZELII, quae in edit. Lugd. B. simul exhibentur. Elmenhorstianae notae etiam separatim prodierunt, 1612, f. Primus in Germania seorsim MINVTIVM edendum curauit Heidelbergae FRANCISCVS BALDVINVS, 1560. Elogia MINVTII FELICIS occurrunt apud LACTANTIVM, TRITHEMIVM, aliosque.

VI HIPPOLYTVS, Arabiae Episcopus et martyr, cuius extant Excerpta et Fragmenta partim in Bibliotheca Patrum, partim in T. v Antiquae lectionis CANISII. Eum autorem mentitur Oratio de Consummatione mundi et Antichristo, in quo fabulae de immortalitate IOANNIS, Euangelistae, et de corpore imaginario Antichristi, leguntur, in quibus multum desudauit IOANNES PICVS PARISIENSIS. Interim de eo uid. EVSEBIVS VI, 16, et HIERONYMVS in Catal. Script. Eccles.

VII IVLIVS AFRICANVS, chronologus ORIGENI aequalis, multa industria floruit, sed omnia fere eius perierunt praeter Epistolam, quae inter ORIGENIS Opera extat, et Fragmenta, quae apud EVSEBIVM, THEOPHANEM, SINCELLVM, aliosque scriptores, reperiuntur.

VIII ARNOBIVS, ad CHRISTVM conuersus, rhetor eruditus, sed, HIERONYMO iudice, inaequalis et nimius, septem libros scripsit contra gentes, qui nuper cum uariis notis editus est. Quorsum spectat MEVRSII Criticus Arnobianus, 1599, 8, in lucem emissus. Huc faciunt STEVECHII Electa Antuerp., 1604, et BVLENGERI Eclogae Tolosae, 1612, ed. Naeui eius in plerisque fidei capitibus eo magis excusandi sunt, quod scripsit Catechumenus, et quaedam non recte assecutus est, et inter alia locum, qui de conuersione inscribitur, in quo etiam ORIGENES, qui ipsum praecessit, notari solet. Diuersus est ab eo ARNOBIVS iunior, qui sec. V floruit, ut argumento certaminum Pelagianorum, quae illius tempore exorta sunt, colligi abunde potest.

IX Ante utrosque hoc seculo floruerunt plerique alii, et inter hos GREGORIVS NEOCAESARIENSIS, qui etiam Thaumaturgus dictus est, quoniam dono charismatum polluit, multaque miracula effecit, cuius uitam scripsit NYSSENVS, eiusque elogia plurima extant apud Patres sec. IV, in primis apud BASILIVM M., et quem dixi, huius fratrem, NYSSENVM, EVSEBIVM atque HIERONYMVM. Nec tamen Sabellianorum calumniam effugere potuit, quippe qui cum eo, ut Ariani cum ORIGENE, egerunt, et, cum Thaumaturgo facere se, et prorsus idem sentire, iactarunt. Sumpsit quaedam uocabula ita, ac hodie sumuntur, et ὑπόστασιν, pro οὐσίᾳ, dixit. Disputauit quoque interdum, non definiuit, ut solent ii, qui capita dogmatum tractant ante et extra certamina haereticorum. Laxe insuper et abusiue locutus est c. 1, cum filium Dei κτίσμα καὶ ποίημα appellauit, quod ei condonandum censet BASILIVS M. Quare benigne explicandus est GREGORIVS, ut non tam uocabuli, quam piae eius mentis, ratio habeatur. Edidit hunc G. I. VOSSIVS primo Moguntiae, deinde Lutetiae, 1622, f. Imperante GALLIENO A. C. CCLXV decessit.

X DIONYSIVS ALEXANDRINVS, Episcopus doctrina insignis, cuius Fragmenta supersunt et pleraeque Epistolae, una contra SAMOSATENVM, quae suspecta est indicio styli, et altera ad BASILIDEM, in quam commentatus est Scholiastes Graecus BALSAMON. Vid. Biblioth. Patrum.

XI

XI METHODIVS, Episcopus et martyr fuit, cuius extant Opuscula et Fragmenta, quae a FRANC. COMBEFISIO edita sunt Paris., 1644. Eius conuiuium decem uirginum LEO ALLATIVS edidit, et exposuit eum notis, Romae, 1656. Vixit hoc seculo sub DIOCLETIANO, et A. CCCIII, initio sec. IV, decessit.

XII ZENO VERONENSIS, Episcopus idem et martyr, sub GALLIENO ueritatem religionis Christianae A. CCLX morte sua confirmauit, cuius Sermones Veronae editi, 1586. Rarum opus, et stylo Apuleium referens. Extat alioquin in Biblioth. Patrum.

XIII VICTORINVS PETAVIONENSIS seculo hoc uixit, et initio quarti A. CCCIII decessit martyr, qui Panno fuit, et pleraque egregia opuscula, quae in Bibliotheca Patrum extant, reliquit. Alius est VICTORINVS PICTAVIENSIS, Afer, qui tempore CONSTANTINI uixit. Vid. CAVE et LABBEVS in eo.

XIV Ex his notamus, Patres diuersam studiorum rationem iniisse, eorum alios philosophiam Stoicam amplexos, alios philosophiae Platonicae fuisse addictos. Inter illos extiterunt TERTVLLIANVS, CLEMENS ALEXANDRINVS et ARNOBIVS. Vid. LIPSIVS Manuduct. ad philos. Stoicam I, et LESCALOPERIVS in Cic. de Natura deorum I. His annumeratur praecipue ORIGENES, quem nimius illius philosophiae amor ad phrases incommodas durasque traduxit. Deinde prioris ordinis Patres plerumque in doctrina de liberi arbitrii uiribus errarunt, alii quoque de Filio Dei non bene et accurate locuti sunt, sumptis ex philosophia Platonica uocabulis, quae mysterio illi non conueniebant, id quod usu uenit CLEMENTI ALEXANDRINO Stromat. IV. Alterius classis sunt ORIGENES, GREGORIVS NEOCAESARIENSIS, qui Filium Dei κτίσμα καὶ ποίημα nominarunt, eo modo, quo Patres ἄκτιον improprie sumpserunt. Similiter ex PLATONE et gentili philosophia desumpta sunt quaedam de statu animarum post mortem, ut ex TERTVLLIANO liquet, cum iam Montanista esset, et ex ORIGENE patet, cuius aetate ecclesia insigniter deflexit, quanquam tamen nec purgatorium, neque inuocatio sanctorum tunc recepta esset. Huc uid. FORBESIVS Instructionis histor. theol. XIII, 10, G. I. VOSSIVS in Dissertat. X.

CAPVT III
DE
HAERETICIS

Haeretici paulum facti sunt callidiores, inter quos initio huius seculi emersit PRAXEAS, homo inquietus, quem confutauit TERTVLLIANVS. Surrexit in Asia, et impugnauit Trinitatem, negauitque Filium Dei, ut diuersam a Patre personam, induisse naturam humanam. MONTANI autem flagitiosissimo errori postea nuntium remisit, cuius haeresin deinceps A. CCXLV NOETIVS, et A. CCLVII SABELLIVS, instaurarunt, acriusque propugnandam susceperunt, et unam diuinitatis personam asseruerunt, atque adeo Patri incarnationem et passionem assignarunt. Etsi quidam Sabelliani infitiati sunt, Patrem esse passum, CHRISTVMque pro mero homine habuerunt, ut ex EPIPHANIO colligere licet. Vid. TERTVLLIANVS in libro singulari contra PRAXEAM, quem refellit, uel ut Trinitatis, uel ut Montanismi, hostem, ibi laudem meretur, hic reprehensionem incurrit. Vid. EVSEBIVS VII, 16, ex DIONYSIO, scriptore antiquissimo, BASILIVS Hom. XXVII, EPIPHANIVS, THEODORETVS II, et Haeret. fabul. III. Testatur ANASTASIVS de Synodis, et post eum AVGVSTINVS, Sabellianos Patri passionem tribuisse, atque eam ab causam Patrispassianos cognominatos fuisse.

II PAVLVS SAMOSATENVS, homo insolens, se addixit Sabellianis, in quantum infitiatus est diuinam personam uerbi, quod testatur EPIPHANIVS Haer. LXV. Fuit antehac Episcopus Antiochenus, sed non multo post fastu et diuitiis mutatus, a superiori integritatis laude recessit. Dixit, CHRISTVM nihil habere praeter communem hominum sortem et naturam, atque adeo CHRISTI diuinitatem pertinaciter negauit, de quo uid. EVSEBIVS H. E. VII, 27. ATHANASIVS ait, eum consulto errasse, non secus atque ipsosmet Iudaeos, Hom. VIII in Ioannem, et in libro de Salutari aduentu, et in libro de Synodis, ubi de SAMOSATENI damnatione agit, dicitque, eum septuaginta Episcoporum suffragio notatum atque condemnatum esse,

quem

quem locum perperam interpretatus est BARONIVS in Annal. eccles., ex EVSEBIO coarguendus, qui legatur H. E. VII, 29. Suscitauit haeresin cuiusdam ARTEMONIS, qui uixit sec. superiori II, atque affirmauit, CHRISTVM merum esse hominem, de quo uid. EVSEBIVS H. E. V, 28. Alioquin P. SAMOSATENVS concessit, uerbum esse Deo coaeternum, sed sine hypostasi, et non distinctum a Patre, idque non passum, sed tamen in CHRISTO operatum, esse, affirmauit, atque adeo Trinitatem personarum sustulit, duosque Christos asseruit, alterum ante secula, sed ἀνυπόστατον, et, qui solum efficientia esset, alterum in tempore et adoptione, CHRISTVM. Vid. DION. ALEXANDRINVS, scriptor perantiquus apud EVSEBIVM, EPIPHANIVS Haeres. LXV, THEODORETVS Haeret. fab. II, HIERONYMVS deinque cursim breuiterque eius haeresin perstrinxit.

III Contra eum uaria habita sunt Concilia, eaque duo insigniora, alterum Antiochiae A. CCLXIV ibidem. Quo tempore ecclesia ab horrenda DECII persecutione paullatim respirauit, et Synodis habendis ueritatem munire, et conuentus palam habere, coepit tam bono et exoptato successu, quam foedum omen P. SAMOSATENVS sequentis seculi haereticis praebuit, inter quos PHOTINVS et NESTORIVS extiterunt. Ille, CHRISTVM merum esse hominem, impie affirmauit, hic praeterea duos Christos inuexit.

IV Verum anno DECII ultimo, et occasione Decianae uexationis, turbauit ecclesiam NOVATIANVS, odio et inuidia erga CORNELIVM, in Rom. episcopatu sibi praelatum, excitatus, qui schisma inuexit, quod non a NOVATO, sed a NOVATIANO, nomen atque originem habet. Fuit autem NOVATIANVS Presbyter Romanus, et uir ualde eruditus, qui insurrexit aduersus CORNELIVM, cui sacerdotium amplissimum atque episcopatum inuidebat, praeripere autem non poterat, cumque nihil efficere posset, ad schisma conflandum se uertebat, nec multo post NOVATVS ex Africa Romam transibat, et relicto, quem exagitauerat, CYPRIANO, se cum NOVATIANO ad oppugnandum CORNELIVM uaferrime coniungebat.

V Nunc NOVATIANVM primum Antipapam uocat NATALIS ALEXANDER, qui tamen nescire non debuit, titulum Papae tunc, et sequenti

sequenti seculo Romae cum aliis sedibus communem fuisse, si autem de Archiepiscopo saltem Rom. intelligat, salua res est, nec refragari uolo. Schismatis ceteroquin et haereseos Nouatianae haec capita memorantur. Primo negauit, lapsis poenitentibus ueniam esse dandam, atque hanc ob causam CYPRIANVS eum dixit interfectorem poenitentiae. Deinde non Deo, sed ecclesiae, denegauit potestatem recipiendi lapsos in communionem, et peccata remittendi, tum ordinariam uiam modumque absolutionis penitus sustulit, aditumque ad diffidentiam et desperationem pessimo exemplo communiuit. Vid. CYPRIANVS Epist. XLI, XLIV, XLIX, EVSEBIVS VII, 43, SOCRATES IV, 23. De reliquis eius erroribus uid. PHOTIVS in Biblioth. ecl. CXIX.

VI MANES, Persa, errorem, a Scythiano quodam Saracenicae gentis, et Therebintho, traditum amplexus est, et duas aeternas, easque contrarias, naturas, alteram bonam, alteram malam, docuit atque affirmauit, de quo uid. EPIPHANIVS Haer. LXVI, THEODORETVS Haer. fab. I, AVGVSTINVS de Haer. XLVI. Haeresis ex Pythagoraeorum lacunis uidetur hausta, de quo argumento uid. MVTIVS PANSA. Penetrauit huius doctrinae foeditas in Iudaeam usque et Sinam, ac per totam adeo Orientem, latiusque euulgata est et Ariana labes, quanquam de hac tempore HIERONYMI affirmabant, totum orbem ingemuisse, se factum esse Arianum.

VII Summatim inde perspicitur haereticorum ingenium et uersutia, qui callidis corruptisque consiliis uulpes Simsonis imitantur, quae capitibus quidem diuersis constant, caudis autem conueniunt atque iunguntur. Nam et haeretici differebant iudiciis atque sensibus, uno tamen conatu, et iisdem fraudibus, atque iisdem insidiis, oppugnabant ueram ecclesiae doctrinam, ut allegorice id interpretantur ORIGENES, AMBROSIVS et AVGVSTINVS. Adhaec ex dictis cognoscitur, alios haereticos aliis prolusisse, uiamque parauisse, ut ARTEMON SAMOSATENO, SAMOSATENVS PHOTINO, MANES etiam PELAGIO, de quo uid. COCCEIVS in Epist. ad Ephesios, p. 225.

VIII At enim uero haereses non facile castigari et reprimi poterant hoc seculo, quandoquidem nullum habitum fuit Concilium Oecumenicum, quod CYPRIANVS tamen haberi, optabat, multumque flagi-

flagitabat. Non enim id ratio temporum ferebat, cum regerent ac saeuirent Imperatores pagani. Tum uero acerbitae horum tyrannorum occasio data est eremitarum et monachorum secessibus, ut in solitudines se reciperent, ibique laterent. Primus fuit eorum PAVLVS THEBAEVS. Vid. HOSPINIANVS in libro de Monachis. Quae monasteria postea scholae pietatis factae sunt, auctis uero opibus caduca potius, quam aeterna, bona spectarunt.

SECVLVM IV

CAPVT I

CONTINENS HISTORIAM AVGVSTAM SIVE IMPERATORVM

Initium huius seculi adhuc durum erat et miserum propterea, quod tyranni et religionis hostes etiam in mortua martyrum cadauera, contra naturae gentiumque iura, saeuiebant, quin et libros sacros, undique conquisitos, exurebant, et uel his artibus rem sacram prorsus euertere cupiebant, sed erat hoc infaustum paganis omen, Deo non passuro, ut haec infanda crudelitas longius exerceretur. Vid. EVSEBIVS in Supplem. de Martyribus, ARNOBIVS contra gentes, qui ad haec usque tempora uixit. Ex profanis conf. SENECA Controuers. II, 8, VALERIVS MAXIMVS I, 6, poetae rhetoresque passim.

II Quo tempore ecclesia non excisa est, sed creuit magis et aucta est, ut uel id argumento sit, prodesse interdum ecclesiae, si hostes habeat, qui eam ferro armisque prosequantur, cum tranquillitas non semper expediat, et luxuriae libidinisque sit mater, unde securitas et contemptus diuinae religionis sequuntur. Quod uel argumento ecclesiae horum temporum doceri potest, quae simul ac a calamitatibus respirauit, et quietem nacta est, statim irae, dissidia ac simultates, exortae sunt, et haereses pariter excitatae, ut in ecclesia, hoste externo submoto, bellum ciuile atque intestinum inter ipsos ecclesiae doctores glisceret, et inauspicato gereretur. Vid. EVSEBIVS H. E. VIII, I. Nam post DIOCLETIANI et MAXIMIANI abdicationem, sublatisque

tyrannis, ipso etiam CONSTANTINI M. initio, insurrexit contra ecclesiam ARIVS, homo ambitiosus et pestilentissimus, qui partam nouo auspicio tranquillitatem infelici certamine turbauit. Quo uid. EVSEBIVS in Vita CONSTANTINI M. II, 61, et IV, 23.

III Quibus rebus factum est, ut pietas sensim imminueretur, et integritas simplicitasque superiorum temporum paullatim euilescceret, zelusque extraordinarius et heroicus desineret, atque ipsa etiam religio malis subinde exemplis inquinaretur. Zelus quidem priorum seculorum fuit nimius, sed pietas sane maior. Hinc et charismata, et miracula, finem habuerunt, postquam pagani crudelitate defessi, prope in furorem acti sunt, confundente eorum consilia Deo, quod maxime accidit imperante DIOCLETIANO, qui nullum non seuitiae genus ad exscindendos Christianos excogitabat, et legiones uel odio christianae concidi iusserat, sed nihil effecit, et tandem imperio se abdicauit, priuatusque in Dalmatiam secessit. Vid. Historia miscell. DIOCLET., C. BARONIVS in Annal. eccles. ad A. CCCXVI, NICOL. VEDELIVS de Prudentia ueteris eccles. 1, 3.

IV DIOCLETIANVS quidem fuit legislator prudens et cordatus, legesque condidit, summam aequitatem continentes, tum quoque extitit Imperator fortis et animosus, sed ob nimium in Christianos odium crudelis, et euertendi Christiani coetus maxime cupidus, sanguinisque innocentissimi sitiens. De quo uid. scriptores ecclesiastici pariter, et profani, illi eum merito reprehendunt, hi insigniter laudant. Leges eius pleraque explicatas dedit IAC. GODOFREDVS, quas et prudentia, et aequitas, tuetur, nisi quod a religione diuiniori esset alienissimus, et ipse sibi causas infortunii accersebat. Sed res in eo iam erat, ut ecclesia Dei beneficio tranquillitate frui deberet, et sanguinaria uexatio sub nouo imperio CONSTANTINI M. finiretur. Ita et DIOCLETIANVS imperio abiit, et, ut idem MAXIMIANVS, collega, faceret, peruicit, qui cum insidias CONSTANTINO strueret, eum strangulari iussit, tum MAXIMIANI filium MAXENTIVM praelio oppressit et interfecit, GALERIVS morbo pediculiari consumptus obiit, omnesque eius ex sorore nepotes perierunt, reliquos, MAXIMINVM et SEVERVM, eorumque asseclas, uictor CONSTANTINVS M. mori

mori iussit, atque ita solus rerum est potitus, et Christiana res hoc auspicio in maximum fastigium prouecta est, paganisque admirationem pariter, et terrorem, iniecit.

V DIOCLETIANVM, iusto Dei iudicio perturbatum planeque confusum, et sponte sua ad uitam conditionemque priuatam redactum, excepit CONSTANTINVS CHLORVS, hunc CONSTANTINVS M., CONSTANTINI filius, uterque in Christianos aequus fuit, atque etiam eam ob causam CHLORVS ab EVSEBIO laudatus est H. E. VIII, 13. Decessit XIII imperii anno, cultu modicus, et morum suauitate amabilis, ut refert EVTROPIVS X, I. Eo Eboraci in Britannia mortuo, CONSTANTINVS, Imperator creatus est, qui matrem habuit Helenam, de cuius patria disceptant scriptores. Alii Britannam, alii Treuirensem, fuisse, contendunt, quidam in Bithynia natam esse, affirmant, quae sententia nobis probatur. Neque uero Helena Constantini CHLORI concubina fuit, si uel maxime imparis conditionis fuit, quod agnoscunt AMBROSIVS in Orat. de Funere THEODOSII, ARTEMIVS et EVTROPIVS. Verum ergo inter CONSTANTIVM et Helenam contractum est matrimonium, quod multis argumentis confirmare licet.

VI CONSTANTINVS suprema uoluntate patris, militumque consensu, A. CCCVI imperum suscepit, et Christianis pacem, a tyrannis turbatam, reddidit ac stabiliuit. Vid. LACTANTIVS in libro nuper edito ad DONATVM CONFESSOREM de Mortibus persecutorum, qui multum facit ad historiam eccles. EVSEBII commode explicandam. ZOSIMVS caute legendus est, qui CONSTANTINO obscuram natiuitatem et perfidiam obiecit, cum potius hanc MAXENTIO ac MAXIMIANO, et tyrannis aliis, obiicere debuisset. Homo quidem fuit CONSTANTINVS, nec omni culpa uacuus, iure autem hostes patriae aggressus est ac deleuit funditus, quippi qui non modo Christianos, sed etiam rempublicam, afflixerunt, et partim fallaces ac subdoli, partim infidi et quietis impatientes, fuerunt.

VII Ante fatalem pugnam, cum immanissimo tyranno commissam, uidit crucis signum in aere A. CCCXII, quod nouitii quidam temere negant, in Belgio IAC. OISELVIS, et plerique uiri haud indocti,

qui EVSEBII autoritatem conuellunt. Assentior EVSEBIO, uiro cordato et graui, cui adiungimus locupletissimos testes, NAZARIVM Panegyristam, et LACTANTIVM, uirum grauissimum, et illius temporis quoque scriptorem. Conf. STEPH. BALVZIVS et IO. MORINVS. Ille Miscellan. II, hic de Ecclesia per CONSTANTINVM M. liberata.

VIII CONSTANTINVS multis quidem laborauit uitiis, et errores etiam admisit. Nam CRISPVM, filium, a nouerca falso delatum, occidit, deinde ipsam quoque sustulit, deprehensa eius calumnia, tum ATHANASIVM, a sorore Constantia, et EVSEBIANIS, ATHANASII hostibus, persuasus, in exilium eiecit, et quaedam crudeliter fecit. Magni quoque imprudentiae indicio aulam ex Italia in Thraciam transtulit, atque his rebus Pontifici Rom. crescendi occasionem dedit, dum ex Byzantii ruinis nouam urbem instauraret, eamque nouam Romam appellaret. Annos LXV natus, Nicodemiae decessit, suscepto prius baptismo, quem EVSEBIVS NICOMEDIENSIS, Arianus, administrauit, qui tunc religionem Christianam prae se ferebat. Falsus enim est SCHELSTRATENVS, qui duplicem baptismum CONSTANTINI fingit. Corpus eius Nicomedia Constantinopolin delatum est, et in basilica Apostolorum, quam ipse condiderat, splendide sepultum. Tres filios reliquit CONSTANTINVM iuniorem, CONSTANTEM et CONSTANTINVM, qui imperium diuiserunt CONSTANTINVS, natu maximus, obtinuit prouincias transalpinas, Galliam, Britanniam, Hispaniam, regionesque adiacentes, idem ATHANASIVM ab exilio restituit et Alexandriam reuocauit, sed in bello contra fratrem CONSTANTEM suscepto, caesus est, postquam tribus annis imperauit. Natu minor, CONSTANS, Italiam Graeciamque adeptus est, qui ATHANASII patronus fuit atque defensor, et ob religionis causam bellum mouit CONSTANTIO, natu minimo, sed MAGNENTII insidiis appetitus periit, atque ab ATHANASIO martyr appellatus fuit. CONSTANTIVS denique Orientis et Asiae imperium nactus est, qui ATHANASIO et ARIANIS maxime fauit, quanquam uulgo tradunt, eum ad Arianos defeciisse. Cum Persis infeliciter conflixit MAGNENTIVMque sustulit, sed spectris in morbum incidit, atque in Cilicia, cum quatuor et uiginti annos regnasset, e

uita

uita migrauit. In eo laudandus, quod acerrimus idololatriae hostis esset.

IX IVLIANVS, CONSTANTII agnatus, atque ex CONSTANTIO, CONSTANTINI M. fratre, natus A. CCCLXI, in Romano imperio succeſſit, ſtudiis maxime deditus, et doctrinae cauſa in Academia Athenienſi uerſatus, a LIBANIO ritum et amorem idololatriae hauſit, quem diſſimulauit ad tempus, et imperio potitus, publice profeſſus eſt, religionemque Chriſtianam eiurauit, idolorum delubra aperuit, uariiſque libris ſacra reprehendit, reditus eccleſiae ademit, ſcholas Chriſtianorum clauſit, libris Graecorum interdixit, Iudaeos denique inſtigauit, ut Hieroſolymam et templum ibidem inſtaurarent, odio Chriſtiani nominis, ſed diuinitus prohibiti architecti, aedificare deſierunt. ATHANASIVM ad necem quaeſiuit, qui Deo confiſus, nubeculam cito tranſituram, dixit. Deceſſit in proelio, ab ignoto, aut, ut auſpicantur, a Chriſtiano quodam milite, occiſus. Vid. in eum Orationes GREGORII NAZIANZENI, in quibus ingenium eius accurate depingit. ZOSIMVS eum libro III magnopere laudauit. Conf. EVTROPIVS VICTOR in eo.

X IVLIANVM ſecutus eſt IOVIANVS, ab exercitu renunciatus Imperator, qui emendatum Dei cultum reſtituit, et ab ATHANASIO religionis formulam accepit, paganis aeque, et haereticis, liberum ſacrorum exercitium permiſit, ſed media nocte eum improuiſa mors oppreſſit, cum uix ſeptem menſibus imperio praefuiſſet. Vid. THEODORETVS IV, I, ex profanis ZOSIMVS III, 35.

XI VALENTINIANVS ſenior poſt IOVIANI deceſſum imperauit, princeps bellandi gnarus, ſed doctrinae expers, A. CCCLXIV, qui fratrem VALENTEM Orienti praefecit, imperiique fines contra Germanos in Occidente, et contra Perſas in Oriente, muniuit, eaque de cauſa VALENTEM imperii conſortem declarauit. Vid. ZOSIMVS IV, 4. In puniendis delictis ſeuerus, et Chriſtiani ritus tenax, idololatras libero ſacrorum cultu frui permiſit, quem SOCRATES refert, fuiſſe bigamum Hiſt. Eccl. IV, 6. Imperauit XII annos.

XII VALENS, defuncti VALENTINIANI frater, non perinde erat, et in partes ARII tranſibat, Gothoſque huius doctrinae pra-

uitate inficiebat, funeſtumque exitum habuit, et miſerabilem in modum periit, igni ab hoſte obiecto, in caſa, ubi diuerterat, conflagrauit, uti PAVLVS DIACONVS tradit.

XIII Hinc GRATIANVS, eius patruelis, et VALENTINIANI filius, imperium ſuſcepit A. CCCLXXV, qui ab exceſſu VALENTIS Arianos expulit, et ſacerdotia dignitateſque Catholicis reſtituit, libertatem religionis promulgauit, exceptis Photinianis, Arianis et Manichaeis. Periit inſidiis MAXIMI, tyranni, cum undecim fere annis imperaſſet.

XIV VALENTINIANVS II iunior ab eius morte imperauit, ſed a matre Ariana ad partes Arianas traductus, rei Chriſtianae damnum attulit, metu MAXIMI, tyranni, fugiens, ad THEODOSIVM ſe recepit, qui MAXIMVM ſuperauit, et cum VALENTINIANO felici exitu triumphauit. Occiſus eſt VALENTINIANVS, ſed baptiſmi adhuc candidatus. Vid. huc Oratio funebris AMBROSII, omnino lectu digna.

XV THEODOSIVS I, cognomento Magnus, A. CCCLXXVIII Imperator creatus eſt, qui imperium diu afflictum reſtaurauit, maximaſque res geſſit, ac de re ſacra optime meritus eſt, niſi, quod imperium denuo diuiſit, et Orientem ARCADIO, atque Occidentem HONORIO, natu minori filio, regendum reliquit. Hoc ſeculum erat THEODOSIANVM multo florentiſſimum, quod tamen corruptum uocat ZOSIMVS, ſiue ob corruptos aulae mores, ſiue ob neglectam filiorum educationem, quibus mortuo patre perfidia tutorum maxime nocuit, et prope exitium accelerauit. Idololatras Apoſtatas et haereticos, in primis Arianos, ſeueris edictis terruit et compeſcuit, duos tyrannos ſubegit, MAXIMVM et EVGENIVM, ſed ob cladem Theſſalonicae admiſſam a S. AMBROSIO reprehenſus, et cenſura notatus, fuſis lacrymis dolorem teſtatus, poenitentiam ritu eccleſiaſtico egit. Mediolani obiit, cum XVI annis imperium geſſiſſet.

XVI Poſt THEODOSIVM res imperii minus proſperae erant. Nam in Oriente pariter, et Occidente, tyranni et turbatores erant. In Occidente Gothi Romam ceperunt, et dignitatem ueteris imperii ferme extinxerunt. Nam HONORIVS Princeps erat ignauus et imprudens, cetera benignus, et in uiros ſacri ordinis aequo animo praeditus,

ditus, haereticos repressit, et CHRYSOSTOMVM fouit contra ARCADIVM, fratrem, qui ab uxore Eudoxia instigatus, uirum optimum sanctissimumque in exilium eiecit. Sed alioquin ARCADIVS religionis defensor fuit, et obscena Maiumae spectacula sustulit et antiquauit. De quo uid. ZOSIMVS V, PROCOPIVS I, PAVLVS DIACONVS, et inter recentiores C. SIGONIVS de imperio Occident. XIII.

CAPVT II

CONTINENS HISTORIAM RITVVM RERVMQVE ECCLESIASTICARVM

Ecclesiae facies nunc melior erat, et Imperatores suo iam auspicio religionem fouebant ac tuebantur, postquam CONSTANTIVS M. a moribus paganorum Imperatorum recessit, et possessiones fructusque publicos Clero ad uitae necessitatem attribuit, quod institutum mutare uoluit IVLIANVS, sed post eum instaurauit IOVIANVS, et priuilegia restituit, decimasque et primitias N. T. sacerdotio iterum confirmat, pietatisque studia auxit denuo et excitauit. Vid. ORIGENES Hom. XI, EVSEBIVS de Vita Constantini, NICEPHORVS X, 39, CORETVS in Defensione ueritatis c. 19.

II Praeterea CONSTANTINVS M. multa suo nomine instituit et peregit, crucem in uexillo, clypeo, galeisque, usurpauit, quod eius exemplum alii Imperatores imitati sunt, quod inscriptiones et nummi indicant. Quorsum uid. BARONIVS et ante eum EVSEBIVS I, 28, sqq. Nimis sibi indulget IOANNES HOORNBEEKIVS, qui hanc EVSEBII narrationem in commentis numerat, idque ideo, ut εἰκονοποιΐαν reiiciat ac refellat in Examine Bullae de cultu imaginum p. 182.

III Tum uero formula iurisiurandi militaris eodem tempore concepta est, et ante quoque usu firmata est. Milites enim sacramento adacti, haec uerba pronuntiabant, Iuro per Deum, CHRISTVM, et Spiritum S., et per maiestatem Imperatorum, quae secundum Deum generi humano diligenda et colenda est, apud VEGETIVM de Re militari II, 5. Ante Christianos Imperatores iurarunt per Deum

Deum et salutem Imperatoris, ut ex TERTVLLIANO liquet, Apolog. c. 32.

IV Pagani quidem cultus suos retinere cupiebant, et eos CONSTANTINVS, et CONSTANTINI successores, pio iustoque zelo abrogarunt. CONSTANTINI M. filius, CONSTANS, statuam uictoriae deae sustulit, idolumque confregit, quod MAGNENTIVS, tyrannus, aequo animo non passus est, idolumque rursus instituit, et IVLIANVS denuo excoluit, IOVINIANVSque tolerauit, et VALENTINIANVS senior permisit. Prorsus denique abrogauit GRATIANVS, et, ne restitueretur simulacrum istud, DAMASVS, urbis Rom. EPISCOPVS, effecit, ut testatur AMBROSIVS in Epist. XXX, et PRVDENTIVS Carminum I, et in eum GRANGAEVS in annotation.

V Ceterum aliae statuae non confractae, sed relictae, sunt, non quidem ad cultum, sed ad ornatum, et memoriam antiquitatis, quorsum extant Imperatorum Christianorum rescripta, quibus simulacra conceduntur, ut artis pretio, non diuinitate, aestimentur, ut est in Codice Theodos. VIII de Paganis. Eum ad modum templa paganorum permanserunt, cultus autem sacrificiaque templorum desierunt. Erant autem templa uel intra urbem, quae decoris publici causa retinebantur, uel extra urbem, quae subuertebantur. Eo respexit PRVDENTIVS libro I aduersus SYMMACHVM, n. 504.

VI Pagani quidem, et speciatim S. P. Q. R., adhuc gentilium idolis deditus, Imperatorum edictis intercedebat, et ueterum cultum sacrificiaque restitui cupiebat, malorumque causas in Christianos, per quos id staret, reiiciebat. In quam rem SYMMACHVS, Praefectus urbis, ad VALENTINVM THEODOSIVM et ARCADIVM Augustos scripsit, quem scite et grauiter confutarunt AMBROSIVS in duobus libris aduersus relationem SYMMACHI, et PRVDENTIVS, poeta Christianus.

VII Dedicationes ecclesiarum solennes quoque erant, et in frequenti Episcoporum conuentu peragebantur, id quod constat ex EVSEBIO, SOCRATE, SOZOMENO et THEODORETO. Conuenerunt autem saepe ex longinquis regionibus numero magno. Habita autem sunt encaenia ingenti laetitia et canticis, et gratiarum actione publica,

publica, quae consuetudo postea in commessationes et luxum uertit, multisque superstitionibus aucta est, quae intelligi possunt ex DVRANTIO, et Pontificiali Romano, HOSPINIANO, et scriptoribus aliis. Epocha huius consecrationis coepit imperante CONSTANTINO M., atque hinc usus eius remansit, ut publica templa exstructa diuino honori cultuique dedicarentur, et, ut solennitas insignior esset, nundinae quoque in illud tempus, quo dedicationes fiebant, reiicerentur, proposito quidem haud malo, sed euentu non bono, propter corruptelas hominum et consuetudinem prauam. Vid. HOORNBEEKIVS in Examine Bullae de Festis.

VIII Neque uero solum Christiani saepe affectarunt et retinuerunt gentilium caeremonias, sed id quoque egit in Oriente LICINIVS, ut gentilismum instauraret, idque odio CONSTANTINI M., cuius fortunae et gloriae inuidebat. Haud multo post Arianismus exortus est, cuius initia referenda sunt ad A. CCCXVII, quam Epocham designat OROSIVS, scriptor fide dignus, atque his temporibus proximus, quando tradit, iis diebus ARIVM de ueritate Catholica deflexisse, quibus Caesares creati sunt CRISPVS et CONSTANTINVS iunior, CONSTANTINI M. filii, et LICINIVS, Hist. VII, 28. Liquet autem ex ITACIO, hanc creationem incidisse in A. CCCXVII, quod etiam probat P. LABBEVS in Chronol. sua ad h. a. NATALIS ALEXANDER quoque Epocham HIERONYMI probabilem putat, qui originem Ariani dogmatis refert ad A. CCCXXI. At haec sententia argumento historiae et chronologiae mihi uidetur falsa. BARONIVS ab Epocha nostra duobus annis abest. Conf. C. SIGONIVS de Occident. imperio III, p. 71, edit. Basil.

IX CONSTANTINVS quidem nouae haeresi pariter, et tyrannidi Licinianae se opposuit, alteram indicto Nicaeae Concilio impediuit ac fregit, alteram iustis armis domuit, et perfidiam tyranni capitis supplicio ultus est, etsi ZOSIMVS de neutra re perperam sensit, et VICTOR, ZOSIMVM secutus, contra datam fidem egisse CONSTANTINVM, et occidisse LICINIVM, refert. Hoc tyranno demum sublato, res Christianorum firmatae sunt, ut iam ueteres Christiani solennia exequiarum publice et interdiu peragerent, quod antea facere non

audebant, id quod agnouit IVLIVS, apostata, cuius testimonium extat in Codice Theodos. IX, tit. 17, lege 5.

X Non mitius fuit consilium IVLIANI, qui, eiurata uera religione, CHRISTVM insectatus est, et neruum rei Christianae incidere, ac pariter gentilium ritus cultusque restituere, ipsumque ATHANASIVM e medio tollere, uoluit, ut quem nimis constanter instituto suo repugnare sciret. Quare hic profugit in Thebaidam, nec multo post IVLIANVS bellum gessit cum Persis, in quo sauciatus telo decessit. Vocem ab eo missam νενίκηκας, ὦ γαλιλαῖε, uulgo tradunt, sed nihil de eo memorant historici fide digni, SOCRATES III, 21, SOZOMENVS VI, 2, nisi quod aliquid huius occurrit apud HIERONYMVM, quod huc trahunt, isque sequentia scribit, IVLIANVS AVGVSTVS VII libros in expeditione Parthica aduersus CHRISTVM euomuit, et iuxta fabulas poetarum suo se ense lacerauit, et Nazarenum nostrum, ut ipse solebat dicere, statim praelio sensit, et mercedem linguae putidissimae, conto in iliis perfossus, accepit. Hucusque Stridoniensis Presbyter. At nihil ibi de apophthegmate peruagato et impio, etsi non ignoro, eum GALILAEI elogio appellasse CHRISTVM, saltem hinc scriptores sequiores, et Graeculi in primis, acceperunt hanc fabulandi occasionem, cum quibus facit SIGONIVS de Imperio Occid. VI. Alioquin IVLIANVS callide et per artes ad opprimendam religionem Christianam grassatus est, interdictis gentilium libris, ereptisque humanioris doctrinae instrumentis, non per supplicia et caedes, sed uia nocendi subtiliore, ut paganismi hoc restituendi infelix omen daret, quod Deus, literarum artiumque stator, repentina eius morte anteuertit, nec LIBANIVS temere suspicatus est, aliquem ex Christianis militibus caedis huius fuisse autorem.

XI Omnium florentissimus amplissimusque rei Christianae status fuit sub THEODOSIO M., annoque huius seculi ultimo omnia templa paganorum diruta et euersa sunt, unde sumpsit ansam calumniandi ZOSIMVS, nec sincerior est LIBANIVS, praeceptor et Christianorum nomini infensissimus, quem notauit meritoque perstrinxit scriptor ecclesiasticus SOCRATES III, 23.

XII

XII At enim uero Imperatores cum rebus ecclesiae diligenter incumberent, tum quaedam per imprudentiam atque incuriam in republ. admiserunt, et uel incaute imperium transtulerunt ac diuiserunt, uel sobolis suae educationem neglexerunt. Hinc a scriptoribus profanis saepe coarguuntur, et ipse etiam SYNESIVS fatetur, barbarae insolentiae mores in aulas transiisse, quod palatiis inclusi non paterentur se conspici, negotiaque imperii non curarent, in Orat. de Regno ad Arcadium Fuerunt quoque inter profanos, cordati homines, atque inter hos THEMISTIVS, qui perstringunt Imperatores, hic speciatim redarguit VALENTEM, Imperatorem, ob diram nominis Catholici negationem, ut est apud SOZIMVM Hist. eccl. VI, 35, alii nimis indulgebant spadonibus atque eunuchis, ac nimia tributa imperabant, ut queritur passim ZOSIMVS II, sqq.

XIII CONSTANTINVS M. sacri ordinis homines ab oneribus et collationibus exemit, eamque immunitatem legibus ac rescriptis confirmauit, ut ex Codice Theodosiano constat. Exemplum liberalitatis secuti sunt CONSTANTIVS, VALENTINIANVS, GRATIANVS, et THEODOSIVS, fundos tamen et priuatas Clericorum possessiones ordinariis tributis subiecit, extraordinarias autem collationes iis non iniunxit. IVLIANVS autem hanc immunitatem adimere uoluit, quam reddidit, et denique corroborauit, VALENTINIANVS. Tum has immunitates temperauit CONSTANTIVS, cum Clerici quidam per auaritiam multa facerent, et negotiatorum tabulis nomina sua inscriberent, et quaestus adeo operam darent. Eam ob causam CONSTANTINVS M. filios curialium a dignitatibus sacris arcebat, ut possessiones et fundi a collationibus publicis non eximerentur, quod item ex Codice Theodos. patet. Postremo idem renuntiare tenebantur haereditatibus, si ordinibus sacris initiarentur, ut nihil cum seculo commune haberent, qui omne studium operamque suam ad res diuinas conferrent, ut nihil fraudi esset reipublicae, ac nihil aerario derogaretur, quod ex AMBROSIO et SYMMACHO, eorumque Epistolis, liquet.

XIV Quod reliquum est, hoc seculo uariae extiterunt uicissitudines, quae cum ecclesiam, tum rempublicam, turbarunt, ut Imperatores satis haberent, quod eo nomine agerent, in primis uero disciplinam

nam emendarent, nec minus oblatas ecclesiae res, et ui impetuque tyrannorum ereptas, redderent, domos, fundos, agros, hortos, Christianis restituerent, et aequabili iure, saluis tamen Clericorum priuilegiis, omnia ordinarent. In quo regiam liberalitatem demonstrauit CONSTANTINVS. Et exemplo eius inducti alii, multa ecclesiis dederunt, donarunt, legarunt, ac liberaliter obtulerunt. Quorsum uid. EVSEBIVS in Vita CONSTANTINI II, 39, et NAZIANZENVS Epist. LXXX, qui dignus est lectu.

XV Summatim, hoc seculum fuit memorabile, cum ob religionis auspicia, tum ob uarias in ecclesia reque publica gestas res, maxime ob Christiani nominis nouum ampliſſimumque firmamentum, nec tamen caruit naeuis, cum, quod Christiani nimia quadam ueneratione nouos ritus inducerent, cultumque crucis, reliquiarum, et martyrum, inueherent, unde et post precatio pro mortuis coepit, tum, quod plerique baptismum suum in extremum uitae tempus differrent, qui baptismus dicebatur Clinicorum, quem eo modo suscepit CONSTANTINVS M., ut testatur EVSEBIVS IV, 61 et 62. Conf. AMBROSIVS, aut quisquis autor est Orationis de obitu THEODOSII, qui certe est perantiquus, HIERONYMVS in Chronico ad A. CCCXXXIIX. Ex quibus refelli potest BARONIVS, qui, Actis SYLVESTRI nixus, scribit, CONSTANTINVM a SYLVESTRO esse baptizatum. Eodem documento refellitur E. SCHELSTRATENVS, qui duplicem CONSTANTINI M. baptismum confingit. Illud autem absurdum et plane fabulosum est, quod dicitur de lepra CONSTANTINI M. Donationem CONSTANTINI M. uel ipse BARONIVS pro uera non habet, etsi perantiquam esse, et a CONSTANTINO quodam recentiore factam, putat. Ceterum CONSTANTINVS rationem consuetudinemque differendi baptismi accepit a Nouatianis et ab exemplo Clinicorum. Hinc non solus CONSTANTINVS, sed etiam plerique eius successores baptismum ad ultimum uitae tempus reseruarunt, non tam malitia, quam infirmitate et malo exemplo, inductus, cui ignoscendum est, tanquam primo omnium CHRISTI sacra amplexo. Lente enim processit negotium hoc religionis Constantinianae, quippe qui antea impio numinum cultui deditus fuerat, et signa

Mar-

Martis, Herculis, Iouis, Genii, usurparat. De numinis autem, apotheosin CONSTANTINI significantibus, dubitat BARONIVS, sed mea sententia tales nummi de religione CONSTANTINI M. nihil detrahunt, quandoquidem pro conditione et more illorum temporum, Christiani nihil ad laudem honoremque CONSTANTINI M. conquirebant, signumque hoc exprimebant, usum tamen apotheoseos profanae detestabantur. Interim CONSTANTINVS pro Christiano Imperatore habendus est, et id quoque indicant nummi, praesertim quos Constantinopoli signauit, ubi magis ad religionem informatus est, et crucis signum nummis impressit, et aliis rebus factisque, ut EVSEBIVS praeter ceteros indicat, se Christianum declarauit, et mox e uita migraturus baptismum suscepit, ab Ariano quidem Antistite, qui nihilo minus uerus erat baptismus, propterea, quod non priuati Episcopi sensus eo in casu est inspiciendus. Ecclesiae enim custodit uerbum et sigilla diuinioris gratiae, cuius sententiam et promissionis ei factae uim fructumque priuati Episcopi perfidia eripere non potuit, atque adeo is formam institutionis diuinae, licet Ariano sensu, intellectum seruans, uerum contulit baptismum, quoniam ecclesiae, cuius communionem profitebatur, erat othodoxa, cui se coniunxerat CONSTANTINVS, etsi ab Arianis deceptus ATHANASIVM, tanquam turbatorem relegauerit, quod non tam ex malitia, quam ex iudicii infirmitate, ob Arianorum fraudes admisit. Frustra hic fidem EVSEBII CAESARIENSIS in dubium uocat BARONIVS, quod fuerit Arianus, atque odii causam habuerit, ut sic scriberet. BARONIVS enim existimat, A. C. CCCXXIV CONSTANTINVM Romae a SYLVESTRO, urbis Episcopo, sacro fonte tinctum fuisse. Nam, etsi EVSEBIVS CAESARIENSIS ante Concilium Nicaenum forte in Arii sectam inclinauit, tamen Arianus non fuit, in primis post Concilium Nicaenum, ubi Arianos deseruit, et boni uiri cordatique historici partes peregit, tum uero si uel maxime fuisset Arianus, per id fides historica, quam alioquin sibi consentiens retinet, non periclitaretur.

XVI Hoc seculo Patriarchae nomen sub tempora Concilii Chalcedonensis receptum est. Neque enim ante notum erat hoc nomen, et diu post CONSTANTINI M. tempora introductum, postea uero

patriarchae appellati sunt trium insigniorum sedium Episcopi, ROMANVS, ALEXANDRINVS et ANTIOCHENVS. Ille praecipuus in Occidente, iste in Aegypto, Thebaide, Mariotide, Lybia, Ammonitide et Pentapoli, hic in Oriente atque in Asia, ut ex Actis Synodicis et EPIPHANIO in Haeresi LXXIIX constat.

XVII Quod discrimen iure humano receptum est, ut plane ineptiant, qui sedes Patriarchales a PETRO institutas affirmant, atque eo Decretas fabulosas CLEMENTIS et ANACLETI afferunt, immo, et Decretales LEONIS GREGORIIque adducunt, quae tamen in propria Pontificum causa nihil probant.

XVIII Habita autem est ratio urbium, in quibus uel Imperatores ordinarie residebant, aut in quibus praefecti prouinciarum, tanquam regni principes, ius dicebant, ut ex IRENAEO colligitur, aduersus haereses III. Hinc Romae et posthac Constantinopoli fuerunt Metropoles imperatoriae et regiae, eaeque non temporariae quidem, sed perpetuae et stabiles. Alexandria erat caput Aegypti, Lybiae et Pentapoleos. Antiochia Orientis prima potissimaque urbs erat, atque eam ob causam sedes ibi Patriarchales constitutae. His addita est sedes Hierosolymorum, cum antea ibi solum esset Episcopus sedi Antiochianae obnoxius, eodemque modo Episcopus Constantinopolitanus Patriarchae dignitatem est adeptus. Vid. Concil. Constantin. II, Can. II et III.

XIX Fatetur id nouitius Gallus LVDOVICVS ELLIVS DVPINIVS de antiqua ecclesiae disciplina, qui affirmat et probat Patriachae, Exarchi, Archiepiscopi, metropolitani, nomina non a CHRISTO, neque ab Apostolis, instituta, neque a iure diuino, sed humano, repetenda, quandoquidem haec originem duxerunt ex diuisione prouinciarum imperii, et urbium in eo sitarum, conditione et praerogatiua.

XX Exinde intelligitur, sedem Romanam esse ecclesiae uniuersalis partem, et habere certam definitamque in Occidente dioecesin, non autem esse sedem oecumenicam. Id hoc sensu, quasi tota ecclesia Christiana esset priuata particularisque ecclesiae R. dioecesis. Hinc absurdus est NATALIS ALEXANDER in Hist. sec. IV, p. I, 329.

XXI

XXI Exarchi quidem etiam instituti sunt Patriarchis inferiores, neque iis tamen semper obnoxii, Metropolitanis autem superiores, ut Ephesi, Heracleae et Caesareae, qui deinceps Patriarchatui Constantinopolitano subesse coeperunt.

XXII Primatus Thessalonicensis ab Occidentis Patriarchatu auulsus, et a LEONE ISAVRO Patriarchatui Constantinopolitano attributus, est, sed in Africa eminebat primatus, Chartaginiensis et diuersae adeo prouinciae Metropolitanos primates, quaedam autem nullos habuerunt.

XXIII Ecclesiae suburbicariae fuerunt suburbanae, quae etiam dictae sunt urbicariae, et pertinuerunt ad iurisdictionem metropolitanam Episcopi R., quarum meminit RVFINVS, quorsum uideri poterit SALMASIVS de Primatu Papae. Vulgo harum ambitum non recte interpretantur doctores ecclesiae Rom. et saepe impingunt, quod ex collatis SALSMASII et SIRMONDI scriptis eluescit.

XXIV Ritus concessionis pallii ab Imperatoribus institutus est, et nominatim a VALENTINIANO AVGVSTO, qui IOANNI, Rauennae Episcopo, dignitatem pallii contulit, idque iure imperii sacrorum fecit, neque elabi potest BARONIVS, dum confessionem hanc facti, non iuris, appellat. Spectat huc praxis ueteris ecclesiae, quam imperium cum religione Christiana coniunctum est. Respicit huc LIBERATVS in Breuiario, qui pallium ab ANTHYMO, sede moto, pallium Imperatori redditum, ait, tanquam ecclesiastico nomothete, postea hic sibi sumpserunt Pontifices, ut hoc ritu sacram tyrannidem sibi stabilirent, quod factum est sec. VI, quando GREGORIVS II pallium Metropolitis concessit eo quidem tempore, quo pietas imminuta est sensim, et monarchia Paparum paullatim coepit.

CAPVT III
DE
DOCTORIBVS ECCLESIAE

ATHANASIVS, omnium maxime hoc seculo IV, eluxit zelo, industria et constantia singulari, quem Deus excitauit, ut cum HOSIO haeresin ARII reprimeret et castigaret. Nam is non modo

modo Nicaenae Synodo interfuit, sed ferme etiam praefuit, ac sine dubio eius hortatu, conscriptum editumque est Symbolum Nicaenum, quod, autore potissimum ALEXANDRO, Episcopo, qui primus damnauit ARIVM, inceptum fuit. Symbolum uero, quod dicitur Athanasianum, minime est ATHANASII, quod uel styli indicio arguitur, pariterque id et eodem argumento intelligitur de Oratione, quae inscribitur, quod unus sit CHRISTVS, quae tres in diuinitate hypostases asserit, qua notione ATHANASIVS hypostasin non usurpauit, sed pro substantia, aut, ut Graeci uocant, οὐσία, semper extulit, quod omnia ATHANASII momenta constanter docent. Ascendit per gradus ad summum Antistitis munus, et primum Diaconi munere perfunctus est, atque hinc progressus, mortuo ALEXANDRO, suscepit regendam Alexandriae ecclesiam, et Arianorum in se odium doctrinae professione accendit magis, et criminum delatus apud CONSTANTINVM M, et CONSTANTIVM, in exilium migrare coactus, animum praesentem retinuit. Nam calumnia eo processit, ut in aula pertinaciae, superbiae, inobedientiae, perfidiae et coniurationis, accusaretur. Crassas autem et de obiecto stupro refellit calumnias THEODORETVS H. E. I, 28. De ceteris se purgat in Apologia ad CONSTANTINVM, et, cur ad Imperatorem uenire non potuerit, refert. Nolebat enim discedere ab ecclesia sibi credita, et metuebat, ab inimicis, Eusebianis et Meletianis, qui in aula CONSTANTINI multum poterant, atque ATHANASIO perinfensi erant. Vnde intelligitur, CONSTANTINVM ex ratione ciuili ab eo fuisse alieniorem, quod cum MAGNENTIO, perduelli, familiariter uersatus fuisset, atque hostem Imperatoris amicum habuisset, mandatoque Imperatoris non paruisset. Post hunc sub IVLIANO et VALENTE, Imperatoribus, multa indigna passus est, et exilium tulit, ac deinceps restitutus, nihil de pristino fidei ardore remisit, et proposito institit, calumniasque diluit, inter quas et ista erat, quod dedicationum solennia inconsulto Imperatore CONSTANTINO, peregissent, atque adeo in iura sacrorum Caesaris inuasissent. Vid. dicta Apologia ad CONSTANTIVM. In certamine Ariano subinde prouocauit ad sedem Romanorum, quippe quae libera et constanter dogma catholicum de aeterna

aeterna generatione Filii Dei, asserebat ac tuebatur. In Asia enim praeualebant Eusebiani, et aulici his fauebant, odiisque et omni acerbitate sanctum et innocentem uirum premebant. Igitur alibi testimonium et praesidium ueritatis quaerendum erat. Ordiemur totam rem ab initiis suis. A. C. CCCXXV indicta habitaque est Nicaeae Synodus Oecumenica partim aduersus ARII haeresin, partim aduersus MELETII schisma, partim ob dissensiones ecclesiae sopiendas. Cum enim ARIVS ambitione excitatus et inuidia erga ALEXANDRVM, sibi in Episcopatu Alexandriae praelatum, commotus, nihil non ageret, ut ALEXANDRVM perstringeret, atque asserenti diuinitatem et cum Patre aequabilitatem Filii contradiceret, remedium asperius pertinaciae adhibendum fuit. Igitur ALEXANDER Synodum habuit, et ARIVM cum discipulis damnauit. Vid. THEODORETVS Haeret. fab. 1, 4, H. E. 1, 4, EPIPHANIVS Haeresi LXIX, SOCRATES, SOZOMENVS, et in primis ipse ATHANASIVS in libro de Synodis, et in Oratione contra Arianos. Sed non conquieuit ARIVS, atque Alexandria urbe discessit in Palaestinam, multosque Antistites blanditiis sibi conciliare uoluit, quae res magnas contentiones peperit, et aulicos etiam traxit in partes, iamque res ad extrema spectare coepit, donec CONSTANTINVS ecclesiae pacem instauraret, et HOSIO in primis annitente haeresin blasphemam in Oecumenico Concilio damnaret. Quod ubi contigit et ARIVS in exilium abiit, pax ecclesiae reddita, sed postea iterum rupta, est, cum aula et CONSTANTINVS M. credulitate deceptus, et EVSEBIVS NICOMEDIENSIS, haeretici ARII patronus, restitutionem eius urgeret, et, autore haereseos iusto Dei iudicio extincto, ipsius quoque sectatores fouerent et complecterentur. Vid. ATHANASIVS, THEODORETVS, et scriptores iam citati. PHILOSTORGIVS errat, dum putat, ARIVM fauisse honori ALEXANDRI, atque eius electionem approbasse. Fuit autem ARIVS homo callidus et uersutus, ac in Nicaena Synodo damnatus. Prae se tulit poenitentiam, et exilii poenam euasit, receptusque est in gratiam, sed dolus a Deo punitus et perfidia foedum exitum habuit, dissipatis EVSEBII dissidiis, quae eo spectabant, ut ARIVS inuito ALEXANDRO restitueretur, idque effecturum se gloriatus

riatus est EVSEBIVS, quod ne eueniret, aeternum Numen praeuidit. Neque tamen post ARII mortem Arianorum factiones extinctae sunt, quin immo odia et persecutiones in ATHANASIVM et Patres Nicaenos Catholicosque excitarunt, numeroque aucti Imperatoribus quoque formidabiles extiterunt. Decessit ATHANASIVS A. C. CCCLXXIII, quanquam alii CCCLXX, alii CCCLXXI, numerant, qui toto uitae tempore exagitatus ab Arianis, ter in exilium eiectus, saepius in uitae periculum uenit, et aliquando in Aegypto ac Thebaide, atque in Occidente Romae, et apud Treuiros, subsistit, et ab Episcopo Romano IVLIO I, et MAXIMO, Treuirorum Antistite, susceptus et benigne habitus est, atque, his iniuriis et calamitatibus exantlatis, superatisque calumniis, quibus, ut seditiosus et homicida, deferebatur, autoribus Arianis, obiit, et fortis piique athletae monumentum posteris reliquit. Scripta ATHANASII uel sunt dubia, ut Disputatio contra ARIVM in Conc. Nicaeno, quaedam manifesto falsa, quae styli et rerum argumento dignoscuntur. Epistolam contra SERAPIONEM, ATHANASII esse, negant ERASMVS et SCVLTETVS. Neque eius est Disputatio, quae inter eum et ARIVM Laodiceae habita traditur, quod rerum indicio temporumque constat. Similiter ad PSEVDO-ATHANASIVM spectat liber de Vnita Deitate Trinitatis, et decem, quae in editione Parisiensi leguntur, testimonia ex Scriptura sacra de naturali Communione similis essentiae inter Patrem, Filium et Spiritum S., non uidentur esse ATHANASII. Etiam, quod scripsit in illud Profecti in Pagum etc. reiicitur a SCVLTETO, it. in Passione Domini nostri IESV CHRISTI non congruit ATHANASIO, de Sanctissima Deipara, uirgine, est suppositum, fatente ipsomet BARONIO. Neque enim stylus, neque cetera, conueniunt. Librum de Virginitate esse ATHANASII, dubitat ERASMVS, negat ABR. SCVLTETVS. Homilia de Semente dubia est SCVLTETO et RIVETO. De Oratione contra omnes haereses, negat, esse ATHANASII, SCVLTETVS. Oratio de Melchisedecho est commentum sequiorum temporum, de Symbolo Athanasiano res euidens est. Definitiones quaedam non uidentur esse ATHANASII. Dialogi V. T. de Trinitate potiori iure tribuuntur MAXIMO. Quaestiones ad ANTIOCHVM

non

non sunt ATHANASII. ATHANASII quoque dicta et interpretationes Parabolarum sancti Euangelii ex CHRYSOSTOMO, CYRILLO, ALEXANDRINO et GREGORIO NYSSENO, sunt excerptae. Neque Vita ANTONII spirat ATHANASIVM, in primis Disputatio contra ARIVM in Concilio Nicaeno uel hoc argumento refellitur, quod in ea mentionem facit de Spiritus S. diuinitate, quae tamen in Conc. Nicaeno non est agitata, sed tantum de diuinitate et consubstantialitate Filii Dei certamen fuit. Ibidem ARII, ut haeresin abiicientis, fit mentio, cum tamen constet, ARIVM in tuenda haeresi obstinatum fuisse. Tum uero huius Disputationes non meminerunt scriptores ecclesiastici SOZOMENVS, SOCRATES, THEODORETVS, aliique. Percommodum ATHANASIO et utile ecclesiae accidit, quod pariter sub tempora illa Episcopi Romani IVLIVS I et LIBERIVS religionis causam et ATHANASII doctrinam susciperent tuendam. Alter eum in urbe benigne excepit, alter literas ad eum scripsit, sed FELIX II Arianorum partes secutus est, et haereticorum arte et consilio episcopatum accepit, et, quia callide euectus est in sedem, in tabulis Pontificum omitti solet. Hinc DAMASVS, sublatis paganorum in uniuersum persecutionibus, in fastum seculi mutatus, dominatui sacro et tyrannidi ecclesiasticae prolusit. Causam quidem huic superbiae dabat Imperatorum Romanorum absentia et loci longinquitas, et, quia disiunctam ab Italia sedem habuerunt, occulta sibi ab Episcopis Romanis metuebant, atque adeo ipsis plurimum indulgebant, cum in apparatu externae pompae, tum in ceremoniis et rebus ad seculum pertinentibus. Maxime autem VALENTINIANVS, Imperator, plurimum conniuebat et concedebat. Vnde sensim negligere autoritatem Caesarum, et surgere altius, ac tandem pro liberis se gerere, coeperunt. Haec uero Epocha erat Antichristi iam adolescentis. Non uero solum ATHANASIVS, sed etiam Patres aequales et Ante-Nicaeni, quoque diuinitatem et consubstantialitatem Filii Dei agnouerunt, quod impudenter negat CHRISTOPH. SANDIVS, et ARII sententiam ante Concilium NICAENVM non fuisse haereticam, affirmat H. E. 1, p. 37. Similiter ex Neo-Arianis RVARVS ad MERSENNVM tacite pungit ATHANASIVM, et cum de beatitudine Patrum

 agit,

agit, eamque sibi precatur, studio omittit ATHANASIVM, uelut ob impugnatam ARII doctrinam maxime sibi inuisum. Adhaec ATHANASIVS nunquam asseruit Mariolatriam, quod cognoscitur ex uera et indubitata eius Epistola ad EPICTETVM, in qua dicit, Creaturam creaturae non supplicare, et utitur uerbo προσκυνεῖν, quod in materia diuini cultus soli Deo usu Patrum ueterum tribuebatur. Quin et de Maria communi modo genita et labe peccati infecta loquitur. Adhaec ATHANASII uita fuit innocens, neque seditionis postulari, nedum conuinci, potest, sed prudentiam ubique testatus est, et prouidentia Dei fretus, prudentiaque solerti, euasit insidias Arianorum, et considerate diligenterque munus obiit, aduersariorumque uim euitauit. Editio ATHANASII prodiit 1627, duobus constans Tomis, Parisiis. In edit. hac Paris. T. II, quaest. XXXIX, ad ANTIOCHVM uerba quaedam aliter leguntur, atque in aliis Codd. Vid. COTELERIVS Monumentorum T. II, p. 804, item Syntagma doctrinae ATHANASII editum est ab ANDREA ARNOLDO, in quo locus est, quem non recte exposuit. Latina ATHANASII editio curata est a CHRISTOPH. PORSENNA, AMBROSIO MONACHO, ANGELO POLITIANO, IO. CAPNIONE, 1520, Lutet. Paris. Non uero praeterire debeo ATHANASII aetatem. Attigit enim annos ferme XXC. Imago praefixa est edit. Parisiensi.

II LVCIFER CALARITANVS temporibus ATHANASII uixit ac floruit, pariterque impugnauit Arianos, et in primis sincerus seueruſque extitit, atque epistolas scripsit ad ATHANASIVM, sed propter doctrinam pulsus, migrauit in exilium, qui propter austeritatem celebratur, immo, ab aliquibus arguitur, adeo, ut ipsi propter hanc causam schisma obiiciatur. Sane Clericos et Sacerdotes haereticos, quamuis haereseos poenitentes, non dignatus est recipere, et baptizatos ab Arianis rebaptizandos esse, dixit, ideo, quod ab istis haereticis spiritus conferri non posset. Sed haec ratio non sufficit, si conceditur, uerum et efficacem esse baptismum ab haereticis collatum. Dubitant plerique, CALARITANVS, an Smyrnensis, autor eius schismatis fuerit, cum tamen HIERONYMVS et AVGVSTINVS CALARITANVM, Episcopum, expresse nominent. Ille in Catal. Scriptorum, hic in libro,

bro, Ad quod uult Deus etc., dubitauit tamen ERASMVS. Mortuus est in schismate, quod desiit regnante THEODOSIO M., A. CCCLXXXVIII. Extat ed. Paris. 1568, 8. Nempe LVCIFER, nimio rigore praeditus, sensit contra Scripturae ueritatem, docuit contra Alexandrinam Synodum A. CCCLXII habitam, et denique contra praxin ecclesiae, quae haereticos poenitentes, omni tempore in communionem recepit.

III FABIVS MARIVS VICTORINVS, Afer, rhetor eximius, et philosophus antehac gentilis, aequalis temporum DONATI, Grammatici, qui artem dicendi Romae docuit, et, ingraueſcente aetate, CHRISTO nomen dedit. Phrasibus autem saepe non commodis usus est, atque eam ob causam circumspecte debet legi. HIERONYMVS fatetur, eruditionis laudem ipsi esse tribuendam, sed Scripturas omnino sanctas ignorasse. Fuit enim ex instituto rhetor, et artes praeclare didicit, sed in diuinioris disciplinae studiis parum feliciter processit. Scripta eius continentur in Bibl. Patrum, et inter Orthodoxographa quoque habentur.

IV PHAEBADIVS, Aginensium in Gallia Episcopus, scripsit librum contra Arianos, qui extat T. III Bibl. Patrum, et seperatim editus, atque animaduersionibus illustratus est a C. BARTHIO, Francof. 1623, 8.

V PATIANVS, Barcinonensis Episcopus, operam posuit in confutandis Nouatianis, contra quos scripsit tres Epistolas, quas laudat HIERONYMVS, atque extant in Bibliotheca Patrum. Romae quoque prodierunt illius Parenaeses ad poenitentiam, et libellus de Baptismo.

VI OPTATVS MILEVITANVS, in Numidia Africae regione Mileui munus Episcopi administrauit. Fuit doctus et prudens, ac modeste tractauit controuersias, et Donatistas grauiter reprehendit, quippe qui contendebant, tantum apud se ueram esse ecclesiam, atque a reliquis discessionem faciebant. Similiter modeste excepit et coarguit PARMENIANVM, ecclesiae Donatisticae hominem, euulgatis contra eum VI libris. Septimus enim nota falsitatis et styli indicio a ceteris facile potest discerni. Optima nitidissimaque editio est Parisiensis, cum notis GABR. ALBAE SPINAEI, quae prodiit 1631. In hoc Patre uestigia Exorcismi in ecclesia recepti extant libro II, ut propter hunc

ecclesiae nostrates non debeant deprehendi, quod contra Caluinianos notandum. Dicit autem, omnis homo, qui nascitur, quamuis nascatur a parentibus Christianis, non tamen est sine spiritu immundo, quem conuenit ante baptismum ab eo segregare.

VII AMBROSIVS, quem alii Romanis, alii Gallis, uindicant, dignitate officii fuit Episcopus Mediolanensis, uir et diligentia, et prudentia, et iudicio, insignis. Cum eligeretur Episcopus, nondum mysteriis baptismi initiatus erat, quod exemplum obseruatu est dignum. Munus Episcopi, quod recusauit initio, diligenter gessit, et tanta libertate usus est, ut THEODOSIVM, Imperatorem, caede Thessalonicensium patrata, censura ecclesiastica notaret, quem postea recepit, cum ueram poenitentiam agebat. Hic AVGVSTINVM, a Manichaeis deceptum, ad ecclesiam reduxit, et manu sua tinxit. Hinc AVGVSTINVS uehementer laudauit AMBROSIVM, et inter omnes ecclesiae Occidentalis oratores praestantissimum esse, dixit. Tandem AMBROSIVS in extremo seculi mortuus est, et in primario templo Mediolanensi sepultus, ubi etiam nunc eius reliquiae ostenduntur. Opera et scripta eius omnia nota sunt. Editiones optimae sunt Basileensis et Parisiensis. Antuerpiensis enim passim corrupta est, et circumspecte debet legi.

VIII HIERONYMVS, oppido Stridonis, quod in Dalmatia iacet, oriundus, Romae literis operam dedit, et praeceptores habuit doctos, DONATVM, Grammaticum, VICTORINVM, rhetorem, quos in Italia nactus est. Praeter hos ad Iudaeos se contulit, et ab iis linguam sanctam didicit, quam nemo quidem Latinorum Patrum, praeter ORIGENEM et HIERONYMVM, tenebat. Idcirco Iudaeis se informandum tradidit, tantumque profecit, ut doctorem suum superaret. Presbyterum fuisse, multa confirmant. Nam et ipse Presbyterum se uocat, et communiter Stridonensis a patria uocatur. Nunquam autem dicitur Presbyter Hierosolymitanus, quanquam Hierosolymis diutissime uixit, et quidem in agro Bethlehemitico plurima scripsit. Illud autem ineptum est, quod plerique eum Cardinalem fuisse, iactant, quod BARONIVS ipse negat, et simplicem adeo Presbyterum fuisse, affirmat. Occasio lepidi erroris est, quod a plerisque Cardinalis Presbyter

est

est appellatus, scilicet, non ob purpurae dignitatem, sed ob literaturae insignioris cognitionem. Reuera enim fuit primarius doctissimusque Presbyter inter omnes Latinos. Neque enim tantum HIERONYMVS studio literarum totum se tradidit, sed etiam theologiae ac diuinioribus doctrinis se consecrauit, nec modo Presbyter, sed quoque Presbyter primarius, euasit, adeo, ut hanc ob causam Cardinalis fuerit appellatus, sed non eo sensu, quo Cardinales Romani dicuntur, quod nomen hodie non doctrinae, sed summae regentium Praesulum dignitatis, in ecclesia Rom. habetur. Quod ceteroquin ad uitam HIERONYMI attinet, maiorem ille partem in Palaestina exegit, atque iis in regionibus libenter uersatus est, in quibus CHRISTVM commoratum esse, gaudebat, nec sine sensu interioris laetitiae recordabatur, quin etiam alios hortabatur, ad se ut uenirent, idemque uitae genus amplecterentur. Hinc etiam Eremitarum patronus iactatur a Pontificiis, et a peregrinantibus in Palaestinam, memoriae causa celebratur. Nam in Palaestina, et speciatim Bethlehemi, domicilium habuit, ac ibi docuit, librosque scripsit, nec Eremitas imitatus est, quia munus ecclesiasticum administrauit, nec opinione meriti quicquam suscepit. Nec tamen errore, aut labe sua, caruit, siue, quod nimium coelibatui tribueret, et ex uirginitate prope idolum faceret, siue, quod interdum uehementior, et in mouendo suadendoque concitatior, esset. Putabat enim, magis excitari pietatem in obtutu locorum, in quibus Seruator esset uersatus, quod tandem agnouit, scrupulumque hunc ipse sibi exemit, dum reputaret palamque diceret, non Hierosolymis uixisse, sed bene uixisse, laudandum esse. Tum, cum Hierosolymorum urbe omnes alias urbes pari loco esse, concedebat, et ubique patere aulam coelestem, fatebatur, maxime, quod multi sanctissimique uiri pietatis laude floruissent, qui tamen nunquam Hierosolymis fuissent, ut uel hoc argumento uindicari possit HIERONYMVS, quem pro autore et patrono Eremitarum peregrinantium uulgo habent. Illud uero HIERONYMVM maxime illustrat, quod non doctrina tantum, sed praecipue scriptis, ecclesiam ornauit, et interpretando maximam inter omnes Latinos laudem sibi comparauit. Nullus enim tantis ad interpretandi artem adiumentis usus est, quantis HIERONYMVS, cuius

ius peritia linguarum et antiquitatum insigne decus autori peperit, tum eloquii dignitas doteſque reliquae eum inprimis exornarunt. AVGVSTINVS, uir prudens, et aeſtimator HIERONYMI idoneus, plurimum illi tribuit, et Graecarum Latinarumque literarum exactam notitiam ipſi tranſſcribit, atque Hebraeam etiam linguam in laude ponit, ideo maxime, quod omnia monumenta in optimis linguis prodita legiſſet, et omnes, quotquot ex utraque terrarum orbis parte de doctrina eccleſiaſtica ſcripſerunt, legiſſet, et, quod hinc ſequitur, Latinos omnes eo in genere ſuperaſſet, ut iure fateatur ERASMVS, plus in uno HIERONYMO, quam in omnibus Latinis Patribus, extare. Biblia uertit et interpretatus eſt, magna quidem induſtriae laude; adeo, ut Latini doctores uulgatae Bibliorum interpretationis autorem putent, eſſe HIERONYMVM. In hac ſententia ſunt AVGVST. STEVCVS, IO. PICVS MIRANDVLA, et plures alii, quorum nomina collegit MARIANA. Id quidem concedo, HIERONYMVM operam adhibuiſſe ad Biblia uertenda, et bis manum admouiſſe operi, ut tanto emendatior interpretatio eſſet, ſed uulgatam hanc uerſionem HIERONYMO abiudicamus. Nam ea, quam HIERONYMVS confecit, fuit accurata in primis, et ad fontes linguae Hebraeae expreſſa, quod in hodierna uulgata deſideratur. Nam, ut HIERONYMVS id plene elimateque conficeret, Iudaeum adhibuit, et non tam LXX interpretes, quorum interpretatio alioquin non ſpernenda eſt, quam ipſos ſemper fontes, inſpexit et ſecutus eſt, quorum uix riuuli in uulgata reperiuntur. Accedit, quod ſtylus HIERONYMI plane diſcrepet a uerſione uulgata. Hinc cordatiores Latini, praeſertim theologi Gallici, id non audent affirmare, et ipſe etiam ceteris audacior et craſſior BELLARMINVS concedere neceſſe habet, non eſſe unius uulgatam illam interpretationem, ſed aliquid ex LVCIANO, aliquid ex THEODOTIONE, aliquid denique ex anonymo, traxiſſe, ut certe eam ob cauſam HIERONYMIANA appellari non poſſit. Tum HIERONYMVS, qui ſuorum ipſe operum meminit, in Catalogo ſaepius laudato uulgatae huius uerſionis nullam facit mentionem. BARONIVS receptam quoque iſtam ſententiam non probat, et ex uerſione Italica, ac recentiore, HIERONYMI mixtam, putat. Cum BARONIO facit LINDANVS III de Optimo genere inter-

interpretum. Quorsum conf. uiri doctissimi LVDOV. de DIEV in Matth. IX, SIXTVS, AMAMA in Antibarbaro, et ante hos, ERASMVS, ingenus librorum uersionumque censor, tam a Pontificiis, quam a Protestantibus, laudatus. Sed inter alios VILELMVS BVDAEVS, eos imperitiae accusat summae, qui HIERONYMVM existimant uulgatae interpretationis autorem. Vere ergo meritoque haec uersio recentior est, et a quodam Hebraeae linguae minus perito confecta, ac propterea multis erroribus mendisque referta. HIERONYMVS natus est A. C. CCCXXIX imperante CONSTANTINO M., et Presbyter factus est A. CCCLXXIIX. Decessit admodum senex, atque ad AVGVSTINI tempora peruenit. A. CCCXXCIII Hierosolymorum urbem intrauit, nauigatione in Syriam feliciter confecta. Hinc Bethlehemum se contulit, atque ibi seceſſum sacrum habuit, atque in monasterio eius loci scripturam meditatus est, librosque diligenter perlegit, et scribendi diligentia nomen illustrauit, uitaeque satur, et quietis plenus, A. CCCCXX e uiuis excessit, nonagenerio maior. Vid. PROSPER AQVITANVS ad A. CCCCXX. LVCIVS DEXTER, cuius tanta non est auctoritas, reiicit mortis tempus ad A. CCCCXXVI. HIERONYMVS acriori et grandiori dictionis genere plerumque usus est, et famam eruditionis labefactauit uehementia affectuum, ut non tam ueritatis interdum, quam uictoriae, causa disputare uideretur. De matrimonii dignitate saepe non reuerenter locutus est, qui naeui tolerandi sunt, etiam in HIERONYMO, quippe qui acerbior fuit in omnes ORIGENI addictos, neque ipsi AMBROSIO in ORIGENEM aequiori pepercit, ac solitudini monachorum, Eremitarum et coelibatui, nimium indulsit. HIERONYMI editio duplex est, Romana et Parisiensis. Illa BELLARMINVS et BARONIVS usi sunt, hac nos fere utimur, et satis commendata. Opera eius scripta recensuit in Catalogo scriptorum illustrium, unde supposita facile intelligi et aestimari possunt, argumento styli, chronologiae, noscuntur et intelliguntur. Quaestiones Hebraicae in librum Regum in Paralipom. sunt recentioris Iudaei, quod innotescit ex comparatione Quaestionum Hebraicarum in Genesin, ubi stylus et grauitas HIERONYMO conueniunt. In Lamentationes Ieremiae stylus est diuersus et dissimilis, ut uideatur

scriptoris cuiusdam Hebraice imperiti. Commentarius in Psalmos non est HIERONYMI. Stylus enim est rudis et barbarus. In illis citatur EVCHERIVS, qui post HIERONYMVM uixit. In Iobum, quod stylus indicat inaequalis, et imperitia detegit, non esse HIERONYMI. Commentarii in omnes PAVLI Epistolas, quos Patres orthodoxi PELAGIO ascribunt.

IX HILARIVS, Pictauiensis Episcopus, multum diuersus ab HILARIO, Romae Diacono, quem perstrinxit HIERONYMVS, et Deucalionem orbis nominauit, ideo, quod dixit, baptismum, ab haereticis collatum, esse repetendum, tanquam ii, qui haereticorum baptismi initiati essent, uelut in diluuio, perirent, nisi per baptismum Catholicorum, uelut per Deucalionem, restituerentur. Vid. IOANNIS GILLOCII commendatio de Hilario, Operibus eius praemissa.

X RVFINVS HIERONYMI sodalis et amicus fuit, Presbyter item eiusdem autoritatis et gradus, in ecclesia Aquileiensi. Post illa tempora RVFINVS offendit HIERONYMVM, et ORIGENIS patrocinium suscepit, cum maxima indignatione HIERONYMI, qui id indignissime ferebat. Ab hoc fonte promanarunt iurgia, inimicitiae et lites, quas nulla temporis diuturnitas minuere poterat et mitigare, HIERONYMO nimis excitato et iracundo. RVFINVS alioquin diligentiam satis testatam fecit, et uaria scripsit contra HIERONYMVM, ut apparet ex utraque HIERONYMI Apologia. Idem Historiam EVSEBII Latinam fecit et continuauit. Adhaec scripsit de Monachis, quod opus improbauit HIERONYMVS, et multos a RVFINO admissos errores demonstrauit. Praeterea RVFINI imperitiam Graeci sermonis coarguit, atque interpretationem castigauit. RVFINVS tamen, ubi poterat, ORIGENEM laudabat, et HIERONYMO aduersabatur. HIERONYMVS contra de RVFINI laude detrahebat, ut fabula in scholis esset RVFINVS, et pro audaciae imperitiaeque exemplo haberetur. Certe ex actis et scriptis horum temporum constat, RVFINVM tempore HIERONYMI exiguae autoritatis fuisse. GARNERIVS, Iesuita, RVFINVM, Coelestii magistrum, a RVFINO AQVILEIENSI distinguit, sed ab eruditis refellitur et castigatur, quandoquidem idem ille fuit, qui Aquileiensis Presbyter. HIERONYMO ob doctrinam ORIGENIS, aliosque errores, inuisus. Hic RVFINVS libros ORIGENIS

περὶ

περὶ Ἀρχῶν Latinitate donauit. De qua interpretatione merito ambigunt eruditi, an ueram eius sententiam reddiderit, propterea, quod RVFINVS tanto negotio haud quaquam par est. Vid. de RVFINO HIERONYMVS in Chronico, MARIVS MERCATOR, qui RVFINVM appellauit Syrum. Quorsum uid. GARNERIVS, qui de RVFINO coniecturam magis, quam ueram sententiam, protulisse, uidetur. Illud omnino fatendum est, RVFINVM multis erroribus deditum fuisse, et ab HIERONYMO in primis confutatum, dogmata absurda promulgasse, quae passim ab HIERONYMO reiecta sunt atque explosa, speciatim, quod ad caput de impassibilitate et impeccabilitate, seu ἀπαθείας et ἀναμαρτησίας, spectat. Eo conf. GARNERIVS ad MARIVM MERCATOREM, NATALIS ALEXANDER in RVFINVM.

XI IOANNES CHRYSOSTOMVS, patria Antiochenus, et LIBANII auditor, ab eoque sic aestimatus, ut ad successionem commendaretur, sed religio obstabat, et IOANNES a seculo et foro transibat ad sacrum ordinem, munusque ecclesiasticum capessebat, et ab eloquentia aureum os dicebatur. Vid. PALLADIVS de Vita CHRYSOSTOMI, et autor Vitae eiusdem apud SVRIVM in uitis Sanctorum. Primo Diaconus, deinde Presbyter, tum Episcopus, postremo Antistes et Archiepiscopus, Constantinopolitanus, sed odio Eudoxiae, cuius statuam et leuitatem animi ferre non poterat, loco motus, atque in exilium missus, et aliquando post restitutus, sed THEOPHILI, et Praesulum, pietati eius infensissimorum, artibus exagitatus, et indigne habitus, et mox iterum eiectus, multam turbarum materiam reliquit, atque in exilio Comanae, in aspera Ponti regione, curis iniuriisque fatigatus, decessit A. CCCCVII. Sane Eudoxiam reprehendit acriter, et nominauit Herodiadem, quae causa ipsi tot calamitatum fuit. Reuera enim IOANNES uir erat uita sanctus, sed interdum nimis uehemens, et erga aemulos incautus, ceteroquin mire constans atque inflexibilis, et magnae infirmitatis exemplum, praesertim in controuersia cum EPIPHANIO, ubi uterque charitatis, quae maxime theologos decet, oblitus est, quo euenit, ut EPIPHANIVS in itinere, CHRYSOSTOMVS in exilio, moreretur. Vid. SOCRATES H. E. VI, 23, qui tamen in eum uidetur iniquior, SOZOMENVS IX, 3, THEODORETVS H. E.

v, 27. Ex his NICEPHORVS et Graeci recentiores. Laudatur ab HIERONYMO et AVGVSTINO, atque inter eius uirtutes pietas, eloquentia conſtantiaque, celebratur, ſed interdum in zelo fuit nimius, atque non caruit ſuis naeuis. De ſtylo eius praeclare iudicat PHOTIVS. Oratio eius eſt perſpicua, pura, fluens, grauis, compoſitione inſignis, morata et luculenta, et cum ob uarietatem, tum ob ubertatem iucunda, nec tam ad ſubtilitatem, quam ad utilitatem, comparata. Multa illi affinguntur, quae non ſunt CHRYSOSTOMI. A. CCCXCVIII Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, et A. CCCLXXXV Sacerdos Preſbyter, et antea Diaconus Antiochenus, anno aetatis fere XXXVIII, conſecratus, fuit, omni ſtudio uitae aſceticae deditus, atque a ſeculi uanitate remotus. Cenſura ſcriptorum CHRYSOSTOMI reddenda eſt, ut uera eius ſcripta a nothis et ſuppoſitis diſtinguantur. Ea breuis et ſummaria erit. Nam inter eius Orationes et opuſcula quaedam ſunt certa, quaedam dubia, reliqua denique ſuppoſita. Dubia ſunt Oratio in circumciſionem CHRISTI et S. SIMONEM. Oratio in D. Suſannam, Oratio de Poenitentia et mortuis non amare deflendis. Habebant enim multum ex ſtylo CHRYSOSTOMI, ſed argumentum religionis non complectuntur ſincerum et purum, etſi negare non poſſunt, aeuum CHRYSOSTOMI et NAZIANZENI in martyrum cultum pronius fuiſſe. Suppoſita ſunt Oratio de Charitate, Oratio in Decollationem S. Baptiſtae, in tranſfigurationem CHRISTI, quarum ſtylus non reſpondet CHRYSOSTOMO, et aetatis ſunt multo recentioris. Sunt et quaedam CHRYSOSTOMI Homiliae a FRANCISCO Combefis in 8 editae.

XII GREGORIVS NYSSENVS, BASILII M. frater, floruit uſque ad tempora HIERONYMI, qui theologus M. a Graecis dicitur eſſe, et laudatur paſſim a Patribus, NAZIANZENO, THEODORETO et HIERONYMO, quin immo, et a fratre BASILIO M., ſcriptoribuſque aliis eccleſiaſticis. Nitor orationis in eo egregius ineſt, atque hoc argumento pleraque eius ſuppoſita internoſcuntur. Inter ſcripta eius excellunt Orationes et pleraeque Epiſtolae, quae ſingularem uenuſtatem habent. Omnia eius Opera emendatiora edidit CLAVDIVS MORELLVS Pariſ., 1615, Minus caſtigata eſt ed. Baſileenſis. Interfuit Concilio Oecumenico, aduerſus MACEDONIVM habito, et Antiocheno, ubi de

de curatione et emendatione ecclesiarum Orientalium actum est. Disputauit multum contra Eutychianos, et speciatim contra EVNOMIVM. Tum autoritate publica Symbolo Nicaeno inseruit clausulam de Spiritu S. sequentem, Dominum uificatorem, et ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas. Quod factum est contra Pneumatomachos, qui tum diuinitatem Spiritus S. acerrime oppugnabant. Hinc extat eius liber de Diuinitate Filii et Spiritus S.

XIII BASILIVS, cognomine MAGNVS, literis operam dedit Caesareae, Constantinopoli et Athenis, multaque et praeclara scripta edidit, quae etiam nunc extant. GREGORIO NAZIANZENO amico et commilitone usus est, et infensum sibi habuit EVSEBIVM CAESAREENSEM, cui mortuo in ecclesia Caesareensi suffectus est. A. CCCLXIX episcopatum iniit, et uitae innocentia ac doctrina, styli atque compositionis aequalitate, uicit EVSEBIVM. Constantia animi eius in certamine Ariano eluxit, et omnibus modis diligens, pariterque mansuetus, fuit, contra IVLIANVM firmiter fortiterque stetit. BASILII laudes extant in Orat. singulari NAZIANZENI, quorsum conferatur THEODORETVS H. E. IV, 19, et HIERONYMVS in Catal. Script. eccl. Scripta BASILII ita se habent, ut non una eademque eorum ratio ineatur. Alia certa sunt, alia supposita, alia dubia, pleraque manifesto falsa. Maxime controuersus est liber eius de Spiritu S., argumento styli dissimilis, qui alioquin in eo elegans et similiter fluens, interdum tamen floridus, conspicitur atque obseruatur. Praeter BARONIVM putat CASAVBONIVS, hunc librum esse BASILII M., uel eo indicio, quod a IOANNE DAMASCENO bis memoretur, ut uideri possit liber ille saltem interpolatus, si ratio habenda est dissimilitudinis styli. Tum uero in controuersiam uocantur BASILII ascetica, propterea, quod in iis pleraque seueriora et horridiora sunt, et in primis in Oratione sua, qua elogia et scripta sua BASILII complexus est, non meminit NAZIANZENVS. Ita Centuriatores Magdeb. et horum epitomastes LVCAS OSIANDER Cent. IV, libro III, c. 42. Sed alibi fatetur BASILIVS, se pro oratione argumenti et subiectae materiae, accommodasse stylum. Neque Patres dissentiunt, HIERONYMVS,

RVFINVS, PHOTIVS, et ipse, primo loco nominandus, NAZIANZENVS, id probat. Vnus tamen SOZOMENVS, quem scire debuerunt Centuriatores, tradit, fuisse aliquos, qui ascetica EVSTATHIO SEBASTENO uindicarunt. De Liturgia fraus manifesta est, quarum duae extant et inter se dissident, unde Missam Pontificiam, et communionem sub una, probare non licet. Nam neutram condidit BASILIVS M., et de Spiritus S. diuinitate recte sensit, neque unquam cum Macedonianis conspirauit, et asserentes, Spiritum S. esse creaturam, anathemate notauit, nec minus Synodum Ariminensem excussit, sub qua Ariani latebant, incautosque fallebant.

XIV EPHRAEM Syrus, Edessenorum Diaconus, magnae uir pietatis atque doctrinae, aliquid singulare cum CYRILLO HIEROSOLYMITANO habuit, quasique stricturam quandam charismatum superiorum. De hoc uid. GREGORIVS NYSSENVS in Orat. singulari de eius Vita, SOZOMENVS H. E. III, 16, THEODORETVS H. E. IV, 29, HIERONYMVS in Cat. Script. illustr. Opera eius saltem dubia sunt. Liber de Variis tormentis inferni et Testamentum eius, in quo error inest ac superstitio de oratione pro fidelibus defunctis. Narratio ad monachos de sua conuersione est supposita. Opera eius continentur III Tomis in edit. Rom. 1589. Sermones et alia opuscula prodierunt Paris., 1505, et quaedam, 1006. Decessit A. CCCLXXCVII, sub imperio VALENTIS.

XV CYRILLVS, Hierosolymitanus Episcopus, multas calamitates perpessus est, et inter aduersarios habuit in primis ACATIVM, hinc loco motus, ualde afflictus est, sed in doctrina perseuerauit, et iura ecclesiae suae accurate constanterque defendit, ex qua causa ipsi succensuit ACATIVS, in tertia Arianorum classe dux et autor praecipuus. Iuuenis scripsit Catecheses, in quibus multa sunt, quae labem ecclesiae inclinatae aetatis ostendunt, et propterea irrepsisse uitio temporum uidentur. Absurdus est NATALIS ALEXANDER, qui integritatem et orthodoxiam eius per omnia defendit, cum multa analogiae dogmatum contraria in iis reperiantur, adeo, ut minime putandum sit, Catecheses CYRILLI esse interpolatas. Semi-Arianum fuisse, calumnia est, et priuatorum hominum narratio, cui opponimus auto-

ritatem

ritatem publicam ex Epistolis et Actis Synodicis depromptam, quibus elogia certaminum contra Arianos susceptorum, et ordinatio Canonica, ei publica fide tribuuntur, quae HIERONYMI et RVFINI sententiis atque relationibus merito praeferantur. Vid. THEODORETVS H.E. v, 9. Scripta eius certa sunt, Cathechesis Mystagogica, quanquam multa interpolata uidentur. Dubia Epistola ad CONSTANTINVM, falsa ad AVGVSTINVM de miraculis HIERONYMI.

XVI EPIPHANIVS, multarum linguarum peritus Episcopus Salaminis, Cypri urbis, integritate uitae praestantia doctrinae, autoritate muneris, et industria scribendi, ualde commendatus, zeloque insignis, sed uersutis callidisque CHRYSOSTOMI aduersariis saepe nimis obnoxius, et a THEOPHILO ALEXANDRINO, illius aduersario, circumuentus atque eo etiam nomine commotus, quod CHRYSOSTOMVM uideret ab ORIGENIS damnatione alieniorem, de quo iste benignius sentiebat. Vid. SOCRATES H. E. VI, 10, 11, item VII, 26, VIII, 14, SOZOMENVS. Valde laudatur ab HIERONYMO atque hinc ab AVGVSTINO, uirtutesque ac merita eius ultro confitemur, nisi, quod in causa ORIGENIS durior fuit, fecitque in eo cum HIERONYMO EPIPHANIVS, et a BARONIO, aliisque Romanae ecclesiae doctoribus, summo studio defenditur. Alioquin liberalitas EPIPHANII erga pauperes nota celebrataque est, sed simplicitas ei in uitio ponitur, et nimius fauor erga quosdam immerentes, quod omnes monere potest, ut circumspecte agant et iudicent, quando struit saepe fraudes diabolus, et sanctissimis etiam uiris callidissime insidiatur. Inter Opera eius eminet Panarium, seu opus, de octoginta haeresibus. Optima est editio DION. PETAVII Parisiensis, 1622. f., II uol., quanquam et naeuis suis non caret, quae nuper iterum in Germania, est curata. Extat etiam Basil. Gr., 1544, f. Hic notandum, quod EPIPHANIVS Vindobonensis M S. in plerisque a Codice Petauiano diuersus sit, et noua PETAVII editio non semper est elimata. Sic in PETAVIO sunt quaedam, quae facile ostendunt, non esse haec EPIPHANII, sed cuiusdam Mariolatrae, et stylo, et dogmatis analogia, ab Episcopo Salaminio discrepantis. PETAVIVS alioquin non sincerus est, etsi eruditas subiunxit animaduersiones. Reliqua

liqua Patrum opuſcula in Bibliotheca Patrum extant, pleraque etiam in Orthodoxographis inueniuntur.

CAPVT IV
DE
HAERETICIS

Inter haereticos et ſchiſmatum autores primo occurrit loco DONATVS, Epiſcopus a Caſis nigris appellatus, qui A. CCCVI ſchiſma infauſtum excitauit, atque odio et inuidia COECILIANI, Carthaginienſis Archidiaconi, ſe ab orthodoxae eccleſiae communione ſeparauit et diſiunxit, hoc praetextu, quod non rite is ordinatus eſſet. Cauſa odii erat, quod ſacrum depoſitum nollet repeti, cuius repetendi autor erat COECILIANVS. Contra DONATVM habita eſt Synodus A. CCCXIII Romana, quoniam DONATVS eiuſque aſſeclae ualde tumultuati ſunt, et pertinaci obſtinatione ſua eccleſiam turbarunt, atque in primis Africam uexarunt, et aras caliceſque Catholicorum fregerunt, et, inſtaurato Nouatianiſmo, omnia in eccleſia Catholica profanata eſſe, affirmarunt, ac nullum non libidinis animi ſaeuitiaeque genus admiſerunt, immo, et tandem cum ARIANIS conſpirarunt, non tam haereſeos, quam odii, in eccleſiam Catholicam, acerbitate, inducti, adeo, ut baptizatos denuo baptizarent, quos confutarunt OPTATVS MILEVITANVS, AVGVSTINVS.

II Iſtud pernicioſum eccleſiae ſchiſma A. CCCVII infeſtum et exitioſum Arii dogma excepit, cuius autor a Graecis ſcribitur Ἄρειος, perinde ac ſi a Marte furoris initium duxiſſet, Quorſum reſpicit CONSTANTINVS M. apud GELASIVM CYCICENVM, ſed Latini poetae, ſeu Graecae linguae imperitia, ſeu metri cauſa, mediam illius nominis ſyllabam breuem extulerunt. Vid. BARTHIVS ad PHOEBADIVM p. 46. Sed praeter GELASIVM EVSEBIVS, et omnes Graeci, producunt, quorum autoritas uſuſque hic potiſſimum ualet.

III Ambitio ceteroquin in hoc nefas impulit ARIVM, et in primis acrior diſputatio ALEXANDRI, qua ARII animus non ſedatus, ſed exulceratus, eſt, maxime, cum loco moueretur, et Preſbyteri dignitate ab eodem priuaretur. Quare putat THEOD. BEZA in Dedicat.

cat. Opuſcul. AVGVSTINI, BASILII, ANASTASII, CYRILLI, in optima etiam cauſa diſputandi prudentiam requiri, ne, dum nimis irritantur animi, magis commoueantur. Sed ARII ingenium ex profunda ſimulatione et fraudibus erat extrahendum, ne maius malum oriretur. Hinc uigilantia ATHANASII et HOSII diuinitus prouiſa, qui reſtinguendo incendio operam adhibuerunt.

IV Tres autem factiones ab haereſi Ariana prognatae ſunt, AETII, et EVNOMII, deinde ACATII, tertio Semi-Arianorum, qui, reiecto ὁμοουσίῳ, dicebant, Filium Dei κατ' οὐσίαν ὅμοιον, ſeu ſimilem eſſe Deo Patri, prout teſtati ſunt in Synodo Ancyrana A. CCCLVIII habita. Tum uero etiam Apollinariſtae cum Arianis ſenſerunt, CHRISTVMque carnem ſine anima ſuſcepiſſe, docuerunt, quod etiam Arianos feciſſe, teſtatur ATHANASIVS in libro de Salutari aduentu CHRISTI. Poſtea autem dixerunt, non fuiſſe mentem in anima CHRISTI, ſed loco huius uerbum in ea fuiſſe. Vid. SIRMONDVS ad FACVNDVM, Epiſcopum, p. 382.

V ARII fraudes, ſophiſmata et captiones, partim ex eius uerſuta ſubſcriptione, partim ex ὁμοουσίῳ mutatione, partim ex doloſa alliciendi ratione, partim ex fucata reſponſione, et aliis perfidiae indiciis, innoteſcunt. Summa haereſeos apud GELASIVM extat, Οὐκ ἀεὶ ὁ Θεὸς Πατὴρ ἦν, ἀλλ' ἦν ὅτε ὁ Θεὸς Πατὴρ οὐκ ἦν. Οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ἀλλ' ἐξ οὐκ ὄντων γέγονε. Hinc de Filio Dei loquebatur, ut de re creata, ut de ποιήματι καὶ κτίσματι, et interrogatus, an labi damnarique poſſit, reſpondet, ex conditione generatae et creatae naturae id ſequi. Vid. poſt ATHANASIVM ſcriptores et hiſtorici Latini, atque inter hos PHOEBADIVS iam citatus.

VI Interdum quidem Ariani lingua orthodoxos imitabantur, ſed re ipſa Filii diuinitatem et conſubſtantialitatem negabant, atque eorum dux ARIVS Symbolo Nicaeno ſubſcribebat, ſed Ariano ſenſu intellecto, apud SOCRATEM H. E. v, 25. Ariani enim dicebant uerbum eſſe Dei Filium, ſed non uerum et conſubſtantialem, genitumque ab

aeterno Filium, affirmabant, sed in tempore, et prout denotat creatum, ac gignente natura posteriorem, quod erat, ex Deo facere non Deum, et generationem diuinam atque aeternam uulgari physicae generationis lege metiri. Vid. THEODORETVS H. E. II, 6.

VII Saepe autem se uertebant Ariani in alias atque alias formas, et confessiones suas crebro mutabant, atque pro temporum ratione uariabant, et, dogmati causaeque diffidentes, elabi cupiebant, quod ipsis obiicit ATHANASIVS, atque id praeter regulam ueritatis fieri affirmat, et in hac uarietate simul falsitatem reprehendit, apud THEODORETVM H. E. II, 18.

VIII Neque respuebant Catholici nomen ὁμοσιαςῶν, seu ὁμοσιανῶν, atque in eo Christianae religionis fundamentum ponebant, ut non esset habereturque Christianus, quin Filium Dei consubstantialem Patri crederet ac profiteretur, ut tradit autor Dialogi de SS. Trinitate. Similitudo autem, quam plerique Patres adhibent in explicanda Filii Dei generatione, quanquam a sole et luce desumunt, ita accipienda et explicanda est, ut non egrediatur comparationem, et salua huius mysterii sublimitate, intelligatur. Spectat autem cumprimis ad exprimendam Filii cum Deo Patre coaeternitatem, quam perinde, uti consubstantialitatem, negauit ARIVS. Quorsum uid. ATHANASIVS Dial. II de SS. Trinitate, p. 52, NAZIANZENVS, NYSSENVS, et, ante hos omnes, IVSTINVS MARTYR in Expositione fidei, qui diu ante Arianos scripsit.

IX In Arianis autem confutandis operam sumpserunt Patres tam religiosissimi, quam doctissimi, ATHANASIVS, cuius uarii libri et opuscula contra Arianos extant, Epistolae, Orationes, Dialogi, lectu digniſſimi, quandoquidem hic Pater totum uitae tempus consumpsit in refellendis Arianis. Quorsum conf. Apologiae huius Patris. Deinde HILARIVS, Episcopus, qui in Latina ecclesia Arianos impugnauit, cuius praecipui libri extant de Trinitate et de Synodis. Similiter PHOEBADIVS in hanc operam incubuit. LVCIFER CALARITANVS pariter

riter hoc egit, et summo studio pro ATHANASIO et contra Arianos laborauit. MARCVS VICTORINVS AFER, qui libros IV edidit aduersus Arianos, cuius opuscula extant in Biblioth. Patrum. Praeter hos Patres Graeci, BASILIVS M., GREGORIVS, theologus, CYRILLVS ALEXANDRINVS, et sigillatim recensuit EPIPHANIVS in Haeresibus, Haer. LIX. Inter Latinos quoque AMBROSIVS, AVGVSTINVS, FVLGENTIVS, FAVSTINVS PRESBYTER, et denique VIGILIVS TAPSENSIS.

X Hinc exorta est A. CCCLX haeresis MACEDONII, quam Ariani omnibus modis amplexi sunt, et conciliato CONSTANTII, Imperatoris, patrocinio, effecerunt, ut in PAVLI, per iniuriam de sede Constantinopolitana deiecti, locum surrogaretur. Vid. SOCRATES H. E. II, 9. Sed aliquanto post Imperatoris gratia excidit, quod pleraque iniussu eius ageret, et CONSTANTINI reliquias exemplo Apostolorum aliorsum transferret. Nec minus postea Arianos offendit, quod Filium dicere nollet creaturam, etsi eius cum Deo Patre consubstantialitatem impugnauit. Is autem, altero post anno, quam depositus, et munere Episcopi priuatus, est, haeresin inchoauit, ac docuit, Spiritum S. non esse Deum, neque Patri et Filio honore aequalem, sed esse creaturam, ut est apud THEODORETVM H. E. II, 6, et de Haer. fab. IV, 5, EPIPHANIVS Haer. LXXIV.

XI Ante MACEDONIVM, sed diu post ARIVM, atque post Nicaenam Synodum, innotuit PHOTINVS, ex Galatia oriundus, et Sirmii deinde apud Pannonas inferiores Episcopus, cuius haeresis exorta est A. CCCXLIII, quae CHRISTI originem non altius duxit, quam a natiuitate ex Maria, uirgine, et negauit, eum extitisse ante secula, et diuinitatem pariter, ac personam uerbi propriam, impugnauit. Contra eum uid. ATHANASIVS, HILARIVS, MARIVS MERCATOR, PHOEBADIVS, BASILIVS, NAZIANZENVS, EPIPHANIVS, AMBROSIVS, SOCRATES, RVFINVS, et Acta atque Anathematismi Concilii Sirmiensis. Quorsum spectat erudita collatio IOANNIS GEORG. DORSCHEI. Conf. PETAVIVS in Notis ad EPIPHANIVM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1662785739/phys_0087
DFG

XII Sed ut HILARIVS de Spiritus S. persona non recte locutus est, et cum BASILIO atque CYRILLO HIEROSOLYMITANO in eadem causa notatur, sic MARCELLVS ANCYRANVS ob Photinianismum reprehenditur, tametsi eum excusat ATHANASIVS, et Arianorum in eo calumniam arguit, ex quibus de autoritate et consensu Patrum iudicare licet, qui saepe inter se diffident, et aliquando minus accurate loquuntur, aut circumspecte saltem, controuersias pleraque non tractant. Dei tamen prouidentia factum est, ut ecclesiae ueritas conuelli non posset, et Ariani partim inter se distraherentur, partim alios haereticos odio haberent, et ualde persequerentur, in primis Macedonianos et Photinianos, eorum Pseudosynodi quoque formulas fidei euertere non potuerunt, et gentiles in acumine suo obmutuerunt, nec eloquentia et subtilitate simplicitatem orthodoxae confessionis labefactare sustinuerunt. Vid. RVFINVS Hist. Eccl. I, 3, GELASIVS CYCICENVS II, 13.

XIII Ariani nullas non artes adhibebant, ut Catholicos premerent, maxime Catholicorum triumuiros, ATHANASIVM, LIBERIVM, Episcopum Romanum, et HOSIVM, Antistitem Cordubensem, qui intrepide ARIO et Arianis obnitebantur. Hinc Ariani arctius se coniungere, et Eusebiani cum Meletianis callidius conspirare coeperunt, sed fortiter steterunt hi triumuiri, nisi quod HOSIVS iniuriis miseriisque fractus, et iam centenarius, secundae formulae Sirmiensi subscripsit, et ad tempus Arianam impietatem admisit, metu suppliciorum magis, quam quod ex animo ita sentiret. Sane HOSIVM, senii languore et animi infirmitate abreptum, fatemur, sed ante obitum eum facti poenituit, et errorem agnouit, ut ex ATHANASIO intelligitur, etsi sequiorum temporum scriptor ISIDORVS HISPALENSIS de HOSII excessu siniſtre tradit. Patrum sane uarii fuerunt naeui. In aliis constantia, in aliis modestia et lenitas, in quibusdam patientia et humilitas, et aliae uirtutes in aliis, desiderantur, quod quidem non imitari, sed cauere, eorum successores decet.

XIV

XIV Photiani nihilo remissiores erant in haeresi sua defendenda, ob quam causam CONSTANTINVS, Imperator, qui Sirmium, inferioris Pannoniae oppidum, in deliciis habuit, ipse uenit ad eum locum, et Concilium ibi congregauit A. CCCLVII, ut putat BARONIVS, uel A. potius CCCLI, quem asserit PETAVIVS, cui suffragamur, primo ob characterem, quem suppeditant Fasti consulares. Incidit enim ea Synodus in consulatum SERGII et NIGRIANI, ut SOCRATES et SOZOMENVS testantur, quos sine causa BARONIVS refellit, atque praedictus consulatus, quo tempus Concilii Sirmiensis insignitur, respondet A. CCCLI. Deinde propter absurdum. Multi enim Concilio Sirmiensi interfuerunt, qui A. CCCLVII, quem signat BARONIVS, interesse non potuerunt, nisi relegatos et mortuos interfuisse, dicamus. Alioquin haud infitiamur, immo, et ultro largimur, Arianos admodum infensos fuisse Photinianis, et ipsi etiam PHOTINO, atque adeo CONSTANTIVM, Imperatorem, ad indicendum Sirmiense Concilium induxisse, ut pari damnatione innocens ATHANASIVS opprimeretur, etsi hic grauiter restiterunt orthodoxi, praesertim ex Belgica prima PAVLINVS, qui expresse constanterque fraudibus Arianorum contradixit, et in publico confessu damnationem PHOTINI MARCELLIque ANCYRANI definiuit, ATHANASIIque causam eo non pertinentem excepit. Ita Arianis nihil magis nocuit, quam quod ipsi inter se committebantur. Vid. PETAVIVS in Animaduersionibus ad EPIPHANIVM, p. 306, sqq., IO. GEORG. DORSCHEVS in erudita Dissert. de Concilio Sirmiensi A. 1650 Argentor. hab.

XV Inter praecipuos Sirmii Congregatos Episcopos fuit BASILIVS ANCYRANVS, qui PHOTINVM praeclare conuicit, adiutoresque et socios habuit Episcopos ex Oriente plures, quam ex Occidente. Confessionis primae formulam Graece conscripsit MARCVS ARETHVSIVS, quem uulgo Arianum dicunt, neque id officit ueritati, si maxime etiam fuerit Arianus, quandoquidem scripsit non suo, sed Concilii, nomine, consensumque adeo non priuatum, sed publicum,

blicum, et in confeſſu illo declaratum, expreſſit. Nec tamen certo hactenus probari potuit, M. ARETHVSIVM fuiſſe Arianum. Dixi autem de induſtria confeſſionis primae. Namque diſtinctae fuerunt Sirmienſes confeſſiones, nominatimque tres extiterunt, quae ſane indicant de Concilio Sirmienſi diſtincte eſſe loquendum. Vnde iterum colligitur, annum, quem diximus CCCLI, tribus confeſſionibus Sirmienſis Concilii non ſufficere, ita tamen, ut annus CCCLVII BARONII non aſſumatur. De cetero ſecunda et tertia confeſſio Sirmienſis Latine ſcriptae ſunt, quarum illa HOSIO et POTAMIO ſolet uindicari, nullo tamen certo argumento, haec poſterior nihilo certius M. ARETHVSIO adiudicatur.

XVI Atque prima illa confeſſio Sirmienſis, quae proprie et κατ' ἐξοχήν dicitur, orthodoxa eſt, omnibuſque ſeculis magnopere ualuit, et in pretio fuit, neque de eius Canonibus aliter, quam Catholicae fidei congruentibus, Patres ſenſerunt, praeter unicum AVGVSTINVM, qui ſeculo V Canonem Concilii de apparitione Filii Dei in V. T., quae a reliquis Patribus ad probandam uerbi diuinitatem adhibetur, aliter explicauit, ac ii hactenus, putauitque, apparitiones illas per oeconomiam factas, repugnare diuinitati CHRISTI, atque adeo Angelo eſſe tribuendas, in quo tamen ipſum deſtituunt PAVLINVS NOLANVS, et praecipue CYRILLVS ALEXANDRINVS ac SVLPITIVS, qui omnes ſec. V floruerunt, et IV etiam AMBROSIVS ipſe, quo doctore alioquin uſus AVGVSTINVS. Quare nullius ponderis ſunt rationes, quaſi nulli alii Antiſtites Concilio Sirmienſi interfuerint, quam Ariani, cum diſerte ibi pronuntiantur Epiſcopi, qui Arianis, PHOTINI et ATHANASII damnationem commiſcere uolentibus, reſtiterunt animoſe et conſtanter. Illud enim iam expeditum eſt diluere, quod de M. ARETHVSIO, Ariano, obiiciunt, quippe qui confeſſionis primae formulam non ex ſua, ſed ex Concilii, ſententia perſcripſit. Tum intelligi poteſt, omiſſum ὁμοούσιος uocabulum non dare ſufficiens diſſentiendi argumentum, propterea, quod Patres non dolo malo, ſed ob ſimplicem quandam ſecuritatem illo

uoca-

uocabulo abſtinuerunt, perinde ut alii Patres orthodoxi, ſaluo religionis fundamento illud uſurpare uoluerunt, quod uel ex HILARIO, Epiſcopo, qui confeſſionem illam primam repetit, laudauit et expoſuit, poteſt demonſtrari.

XVII Praeiuit autem Concilio Sirmienſi Synodus Antiochena A. CCCLIII et CCCLXXIII habita, quae damnauit PAVLVM SAMOSATENVM, Epiſcopum Antiochenum, qui dixit, CHRISTVM non eſſe hominem, cuius haereſin ſuſcitauit ſeculo hoc PHOTINVS, qui Arianis, CHRISTVM προαιώνιον affirmantibus, maxime inuiſus fuit, adeo, ut ipſi quoque Ariani damnationem PHOTINI urgerent, ac pios ſe orthodoxoſque eſſe, ſimularent, ut callidius deciperent orthodoxos, uocabulumque ὁμοσία cum ipſa re abolerent. Profecto etiam Semi-Ariani in Synodo Ancyrana eo proceſſerunt, ut promitterent, ſe omnia, quae in Sardicenſi, Sirmienſi ceteriſque Synodis, decreta eſſent, ſarta, tecta, conſeruaturos, qui tamen id reuera ſtudebant, ut pia et orthodoxa decreta abolerentur, in primiſque ATHANASIVS damnaretur. Sane uerſutiam ſuam mox patefecerunt, cum HOSIO, Epiſcopo, A. CCCLVI profeſſionem fidei impiam Arianiſque conſentaneam expreſſerunt, nixi autoritate CONSTANTII, quem callide deceperunt, et in altera Concilii Sirmienſis confeſſione ad ſuas partes trahere cupiebant, eique uaferrime perſuadebant, ut alienum ab orthodoxis animum teſtaretur, ut uel hinc conſtet, Arianos omnia ſimulato egiſſe, et orthodoxorum opera ad decipiendos orthodoxos uti uoluiſſe. ARIVS quidem dixit, CHRISTVM fuiſſe conditum ante omnes creaturas, atque adeo ante omnia ſecula, perque eum coelum et terram creata, uno uerbo, CHRISTVM aſſerebant προαιώνιον, ſic tamen, ut nihilo minus maneret creatura. PHOTINVS dixit, interpolato renouatoque SAMOSATENI errore, CHRISTVM tunc primum fuiſſe ortum, cum ex Maria naſceretur, atque adeo non fuiſſe ante Mariam, nedum ante ſecula extitiſſe.

CAPVT

CAPVT V

DE

CONCILIIS

Concilium Alexandrinum I habitum est A. CCCXV, II A. CCCXIX, III A. CCCLXII, omnia contra haeresin Arianam. Concilium Romanum A. CCCXIII contra DONATVM, schismatis autorem. Concilium Ancyranum in Galatia A. CCCXIV contra eundem. Laodicenum A. CCCXX, alii A. CCCXXI ponunt, contra ARIVM. Concilium Arelatense A. CCCXIV in Gallia contra DONATVM. Nicaenum Oecumenicum sub CONSTANTINO M. habitum A. CCCXXV, non A. CCCXXVII, Tyrium in fauorem Arianorum, A. CCCXXXIV, Pseudo-Concilium Mediolanense A. CCCXLVI in causa Arianorum, Sardicense A. CCCXLVII, prius et posterius Carthaginense A. CCCXLVIII et XC contra ARIVM, Sirmiense A. CCCLI, Confessionis primae, siue Catholicum, Sirmiense confessionis secundae, seu noua fidei expositio, a Patribus ἔκθεσις nominata, A. CCCLVII, Confessionis tertiae A. CCCLIX. Haec duo ultima erant heterodoxa, et in fauorem PHOTINI. Ancyrana Pseudo-Synodus a Semi-Arianis habita A. CCCLVIII, Ariminensis in Italia, et Seleuciensis A. CCCLIX. Concilium Constantinopolitanum Oecumenicum II Nicaeae, sub THEODOSIO I habitum A. CCCLXXXI, eodem anno Caesarauguſtanum in Hispania, Carthaginiense II A. CCCXC, III A. CCCXCVII.

iuata autoritate mutauit. Deceſſit Lutherus Iſlebiae A.
ntriculi uitio, praeſentibus illuſtri Alberto, Comite Mans-
e coniuge et aliis uiris, autoritate et dignitate eximiis, inter
Ionas, et *M. Coelius*. Aderant quoque duo eius filii, et pa-
deflebant. Deceſſurus pronuntiauit haec uerba, *Com-*
animam ſuam DEO, qui CHRISTVM ſibi reuelarit,
m docuiſſe et confeſſum fuiſſe, hunc ſe amare, et ſa-
demptorem colere, agnoſcere et uenerari, etſi impii hunc
perſequantur, uituperent ac criminentur. Age tandem,
pe animam meam. Paullo ante obitum *Ionam* et cir-
admonuit, ut preces funderent, et multum diligenter
I orarent, ut euangelium ſeruaret, doctrinamque ſalutis
am euerſam uellent Pontifex R. et *Concilium Tridentinum*.
nus *Lutheri*, ipſo die Concordiae defuncti, XIIX Fe-
CIↃ IↃ XLVI, Iſlebiae Halas, inde Bitterfeldium, po-
tembergam delatum, et, frequenti procerum, patrum-
iae et ciuium ſtudioſorum, comitatu, ad templum ar-
m, atque in eo, iuſſu Electoris, compoſitum huma-
Sed, A. CIↃ IↃ XLVII, cum periculum ab armis Cae-
leret, conſulto rurſus effoſſum, ac in uicinum quen-
tranſlatum eſt, quanquam Caeſar Carolus, urbem in-
is pepercit, et nihil hoſtile in mortuos decernere uo-
ituſque ab Hiſpano quodam, ut in mortui uiri cada-
, reſpondit, *ſe non iudicem mortuorum, ſed uiuorum,*
iae, in funere eius, concionatus eſt *D. Ionas*, VVittem-
eranus. In funere uero eius dixit *Melanchthon*, die XXII
nus VVittembergam delatum compoſitumque eſt. Ceterum
omnibus, et hoſtibus etiam, laudatus eſt, ob doctri-
undiam, et pleriſque dictus eſt *Neſtor Germanicus*, ſed,
i uehementiam notatus eſt a *Ioſepho Scaligero*, ſi tamen
t illa *Scaligeriana*. Sed ſtatus temporum, et repurgandae Ec-
us ardorque propugnandae ueritatis excuſant *Lutherum*, qui
durum cuneum quaerere neceſſum habebat, ut obeſi ob-
nachi tanto magis coarguerentur.